EPISTOLA APOLOGETICA AD SUMMUM PONTIFICEM INNOCENTIUM XI.

CONTRA
INJUSTAM ACCUSATIONEM
FRANCISCI SIMONIS,
S. Theol. Lect.

AUTHORE
Fr. MACARIO HAVERMANS,
Ordinis Præmonſtrat. Canon. ac S. Theol.
in Abbatia S. Michaëlis Antuerpiæ
Profeſſore Primario.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BALTH. ab EGMONT &
Sociorum M. DC. LXXVI.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

SANCTISSIME PATER.

LAudabilis ſemper in toto Catholico orbe mos viguit, ut ex qualibet ejus parte in rebus arduis & difficilioribus dubiis, tam mores quam fidem concernentibus, recurreretur ad Apoſtolicam Sedem ac Romanum Pontificem, apud quem teſte, INNOCENTIO Papa, *ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia*, à quo, *per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanant, præſertim quoties fidei ratio ventilatur* & morum. *In Epiſt. ad Patr Concilii Milevit.*

Mos ille non humano inventu in Eccleſiam inductus eſt, ſed pro meliori Eccleſiæ regimine divina ordinatione diſpoſitus; cum enim Ortrodoxi cum Sacroſancto Lateranenſi Concilio fateantur *Romanam Eccleſiam diſponente Domino cunctorum fidelium Matrem eſſe & Magiſtram, in qua eſt vera & integra Chriſtianæ Religionis ſoliditas*, teſtibus Patribus VIII. Synodi, & cum Occumenico Generali Florentino vene- *Refertur cap.* Dãnamus. *De Summa Trin.*

 rentur

Pag. 2. Collat. 22. rentur & agnoſcant *Romanum Pontificem verum Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem: eumque in univerſum orbem tenere primatum, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino Noſtro* JESU CHRISTO *plenam poteſtatem traditam eſſe:* Dignum & juſtum eſt ut ad divinitus conſtitutum *Magiſtrum & Doctorem* in difficilioribus dubiis recurramus, ut, cum unanimiter ejus determinationi acquieſcant Fideles unitas doctrinæ in Eccleſia ſalva & illibata perſiſteret, ſicque ſuo capiti unum corpus conſociaretur.

Si autem ullum unquam tempus renovari poſtulaverit laudabilem illum Orthodoxorum morem, hoc certè à nobis exigere videtur ut nunc ad Te, S. P. tanquam ad Orbis Catholici communem Magiſtrum & Doctorem confugiamus: teque, quem Eccleſia Catholica ſupremum Controverſiarum morum & fidei judicem ſuſcipit, judicem appellemus, cujus judicio me in omnibus plane ſubjicio, id inpoſterum docturus quod determinaveris. Ego enim (ut cum Hieronymo loquar) Epiſt. ad Dam. *nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio .... quicumque tecum non colligit, diſpergit.*

2. Duæ

2. Duæ autem, Sanctiſſime Pater, ſunt quæ memovent cauſæ ut Te graviſſimis & continuis Eccleſiæ curis occupatum audeam appellare. Prima eſt, quod in hiſce Belgii Partibus Pii Fideles videant & non ſine magno animi mærore deplorent complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum Licentiam indies magis excreſcere, perquam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, SS. PP. doctrina, & per quem ſi pro recta Regula fideles eum in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. Quo fit ut via ſalutis, quam Suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatetur, ſeu verius pervertatur. Conatus quidem fuit Beatæ memoriæ ALEXANDER VII. (cujus laus eſt in Eccleſia) oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpacioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam revocare: in quem finem varias propoſitiones admores ſpectantes in praxi prohibuit. Verum quam diu radix non

 ſucci-

Digitized by Google

ſucciditur, continuo novæ ac recentes rami pullulant, non minus cæteris pernitioſi: circa ipſam enim prohibitionem neſcio quomodo luxuriantium ingeniorum licentia aliquid audet verſatili & quodlibeticâ ſuâ probabilitate quamlibet fere obligationem elidentes, ſicque præcepta eludentes.

3. Secunda eſt, quod illi, qui ex zelo pro veritate & ſalute fidelium, pro viribus, divinâ confortante gratiâ, malè accreſcenti doctrinæ, in perditionem fidelium tendenti, reſiſtunt, & mores fidelium ad normam doctrinæ & exemplorum Chriſti, cujus omnis actio noſtra eſt inſtructio, ad ſenſum & praxim primitivæ Eccleſiæ, quæ proxima Chriſto & Apoſtolis, & non ita corrupta vitiis optimum de virtutibus judicium formavit, & denique ad doctrinam SS. Patrum, quos Deus ſpeciali gratiâ Eccleſiæ ſuæ donavit, ut verbo & exemplo illam inſtruerent, tanquam ad lydium lapidem probare volunt nihil deſiderantes niſi videre Eccleſiam Dei ſicut in diebus antiquis, ſicut in diebus Patrum noſtrorum, quorum erat cor unum & anima una, quando nuda veritas nondum tot verſicoloribus faſciis involuta fidelibus imprimebatur à viris illis quorum doctrina fulget Eccleſia

ut

ut ſole luna: quod illi inquam, quorum zelum approbare debebant omnes Catholici, neſcio quomodo traducantur & depingantur ac ita inviſi reddantur, ut Authoritate ſuâ vix quid boni in illorum fidelium animis operari poſſint qui ſolum alienis oculis aliorum ſcripta legunt, vel ex ſola aliorum Authoritate de rerum veritate judicant, quorum tamen ſaluti intendunt.

Verum quod peſſimum eſt, audent & illos deferre ad Apoſtolicam Sedem, veſtrumque judicium, S. Pater, circa ipſorum doctrinam expoſtulare? Quid non audet effrænis luxurantium illorum ingeniorum licentia? Illud & fuit olim multorum hæreticorum impudentia, ut cum ab Eccleſiæ Præſulibus tum à particularibus viris doctis ac zeloſis increparentur ac convincerentur, ita ut jam cauſæ ſuæ penè deſperarent, ad Apoſtolicam Sedem provocarent, non ut ad ejus judicium errores ſuos deponerent, quos & ante ſciebant ab illa Sede proſcribendos, ſed illâ ſpe ut vel illam Sedem ſuis dolis & fallaciis fallant & circumveniant; vel ut illa Sedes alienis negotiis arduis occupata non poſſit tunc illis intendere, ſicque ipſi interea diutius Catholico nomine gloriari & plures incautos decipere poſſint, ſub illo præ-

 textu,

textu; quod illius ſedis taciturnitas tacita ſit errorum ſuorum approbatio; illique neceſſario bene fundati eſſe debeant quando illorum inventor ad Apoſtolicam ſedem audet appellare. Ita olim ad Romanam Sedem appellaſſe Pelagium & Celeſtium liquet ex Auguſtino & Actis Conciliorum Africanorum. Ita & Abailardum provocaſſe ad eandem Sedem colligitur ex Epiſt. 189. S. BERNARDI ad INNOCENTIUM Pontificem.

4. Verum, ut cum mellifluo Doctore loquar, *Tu ſucceſſor Petri, judicabis an debeat habere refugium Sedem Petri qui Petri fidem* (& doctrinam) *impugnat. Tu, inquam, amice ſponſi providebis quomodo liberes ſponſam à labiis iniquis & à lingua doloſa. Sed ut paulo audacius loquar cum Domino meo, attende etiam tibi ipſi, Amantiſſimè Pater, & gratiæ Dei, quæ eſt in te. Nonne cum eſſes parvulus in oculis tuis, ipſe te conſtituit ſuper gentes & regna? Ad quid? Niſi ut evellas, & deſtruas, & ædifices & plantes? .... Sed nequid deſit coronæ tuæ en hæreſe* (en periculoſiſſimæ morum doctrinæ) *inſurrexerunt: itaque ad conſummationem virtutum; & nequid minus feciſſe inveniamini à magnis Epiſcopis Anteceſſoribus veſtris, capite nobis, Pater Amantiſſime, vulpes quæ demoliuntur vineam Domini, donec parvulæ ſint, ne, ſi creſcant & multiplicentur, quicquid talium per Vos non fuerit exterminatum à poſteris deſperetur.*

Epiſt. 189.

vetur. Quamquam non jam parvulæ nec pauculæ, ſed certè grandiuſculæ & multæ ſint, nec niſi in manu forti vel à vobis exterminabuntur. Id quidem modo neceſſatium tempus eſt, ut veſtrum agnoſcatis, Pater Clementiſsime principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & ſedem; ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei & morum *corruptores.* Nam *novum cuditur populis Evangelium, nova proponitur fides de virtutibus & vitiis: non moraliter de Sacramentis Eccleſiæ, non fideliter diſputatur, ſed cuncta nobis in perverſum, cuncta præter ſolitum & preterquam accepimus, miniſtrantur.* Ut ait idem S. P. Epiſt. 189. *Arbitramur* autem (ut cum Aug. Epiſt. 92. Ad INNOCENTIUM Pontificem loquar) *adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, qui Te regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati Sanctitatis Tuæ, de Sanctarum Scripturarum authoritate depromptæ, facilius eos qui tam perverſa & perniciosa ſentiunt eſſe ceſſuros, ut de correptione potius eorum gratulemur, quam contriſtemur interitu.* Unde *magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.*

Epiſt. 190. ad eundem.

5. Quantum ad nos, qui apud Tuam Sanctitatem accuſamur, quique ſoli veritati ſtudemus, nihil magis gratum foret, nihil magis optaremus, quam veſtrum

 judicium

Digitized by Google

judicium de noſtra verè propoſita, ac de adverſariorum doctrina cognoſcere; ita enim doctrinam noſtram in verbo Dei ſcripto ac tradito fundatam putamus, ut ne vel ſuſpicemur quin Apoſtolica Sedes illam tanquam ſanam & illibatam doctrinam approbabit, ac tanquam ſuam agnoſcet; cum enim illam primitiva Eccleſia ac Patres approbarint ac docuerint, & eodem ſemper immutabili Spiritu Dei regatur Eccleſia, non poteſt nunc reprobare tanquam ſpuria & adulterina dogmata, quæ olim probavit tanquam legitima: vel nunc approbare tanquam vera, ſecura & tuta, quæ olim repudiavit tanquam falſa ac periculoſa.

Verum quia labi humanum eſt, ſi forte ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, Veſtrâ ſententiâ corrigagatur, cui libentiſſimè nos ſubjicimus, cum ſciamus teſte AGATHONE Papa *quod Apoſtolica Eccleſia numquam à via veritatis, in qualibet erroris parte, deflexa eſt, cujus authoritatem, utpote Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt .... hæc eſt veræ fidei regula .... quam defendit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur.*

In Epiſt. ad Conſt. Imperat.

6. Ut

Digitized by Google

6. Ut autem ad accuſationum capita veniamus, prodiit à paucis diebus libellus, cui titulus: *Status, Origo & ſcopus reformationis hoc tempore attentata in Belgio circa adminiſtrationem & uſum Sacramenti Pœnitentiæ juncta piorum ſupplicatione ad* CLEMENTEM X. *Pontificem Maximum per Franciſcum Simonis.* In hoc libello ſupplici ad Sanctitatem tuam inter alios & ego accuſor, quaſi docuiſſem ſententias à S. Sede Apoſtolica proſcriptas, ab Eccleſiæ ſenſu alienas, & in piorum fidelium perniciem tendentes. Quæ accuſatio indubiè Eccleſiæ filio gravis eſt; nihilominus diſſimulaſſem, innocentiæ meæ & veritati rei confidens, præſertim cum apud incorruptum accuſer judicem, ubi innocentia & veritas, diſponente divinâ gratiâ, certò triumphat, tamen cum experientia didicerim ex diſſimulatione ac taciturnitate, adverſariorum audaciam indies magis ac magis excreſcere non ſolum in famæ meæ detrimentum, quam parum curo, ſed & in veritatis oppreſſionem, omnino jam in innocentiæ meæ ac veritatis defenſionem pauca ſcribere cogor, non vim vi repellendo, quod tamen omnia jura permittunt quando fit moderamine inculpatæ tutelæ, ſed Chriſtianâ charitate injurias concoquendo; rei veritatem ſolummodo proponendo illi cu-

jus

jus eſt confirmare fratres ſuos in fide & moribus: illiuſque exſpectare ſententiam, cujus deſuper exigitur judicium, quemque non tam rationes humanæ, quam fortis & ſuavis Spiritus Sancti directio movet ad rei deciſionem.

7. Primò ergo Author in præfatione ad Tuam Sanctitatem valde infundatè me, alioſque (in illo libro accuſatos) quos omnes ſimul invidioſo nomine factionis compellat, vocat *Novos Doctores*: cum tamen mea in ſcribendo intentio in hoc unicè tendat & vergat (ſicut & aliorum) ut Theologiam Moralem reducamus, quantum poſſibile eſt, ad vera & genuina ſua principia, quæ ſunt *verbum Dei ſcriptum & traditum* ſicque ſecernamus Theologiam à Philoſophia, quæ nimium in Theologiam irrepſit. Hinc provenit quod, cum nobis immediatè Traditiones non innoteſcant, continuo conemur inſudare SS. Patrum libris, utpote qui ſunt fideles Traditionum depoſitarii, ut ex illis colligamus quid circa mores traditio habeat, & huic doctrinam & mores conformemus.

Non hæc tractandi Methodus à nobis noviter adinventa eſt, ſed ſemper Eccleſiæ in uſu fuit, & ab illa non ſemel decreto firmata; *ut rectam* inquiunt Concilii VIII. Conſtantinopolitani Patres,

regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſa teneamus, Sanctorum Patrum correcta, veluti inextincta quadam ſemperque lucentes faces, ſequenda ſunt. Quapropter Sanctiones Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ per traditionem, tum à Sanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab orthodoxis Oecumeniciſque & Provincialibus Conciliis, aut à quovis Deiloquo Patre & Eccleſiæ Doctore acceptas, ſervandas, cuſtodiendaſque profitemur. Act. 10. cap. 1.

Hinc & GREGORIUS VII. ad reſtaurandam collapſam Eccleſiæ diſciplinam hac methodo quondam uſus eſt: *videntes*, inquit, *ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales has proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente Diabolo conculcatas, concuſſi periculo & manifeſtâ perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtra ſtatuentes, ſed primam & unicam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Regulam eſſe tritam SS. Patrum viam, relicto errore, repetendam & ſectandam eſſe cenſuimus &c.* An vitio verti nobis poteſt SS. PP. & non potius honori & laudi, quod hujus celebris Anteceſſori veſtri veſtigia præmimus?

Judicet ergo Sanctitas Veſtra an hæc famoſa regula, quam ut fundamentum doctrinæ noſtræ ponimus, redargui debeat.

Nulla

Nulla eſt certior regula quaque facilius in materia fidei & morum errorem effugere poſſimus, quam ſi ſtudiosè attendamus, quid antiquitati, SS. PP. traditionibus, & priſcis Eccleſiæ moribus atque inſtitutis conveniat.

9. Attamen hoc veriſſimum eſt quod ſimus *novi Doctores* apud Accuſatorem, ſuoſque ſocios; quibus nihil ita obſoletum nihil ita antiquatum eſt quam veterum, quoad mores, placita Patrum: cum hiſce, neſcio quæ præferant magis Philoſophica quam Theologica inventa, ne dicam figmenta, magis locis Topicis Ariſtotelis conformia, quam cæleſtis morum magiſtri Chriſti maximis correſpondentia. Hinc in ipſorum libris Theologiam Moralem concernentibus ne veſtigium propemodum ſententiæ Sanctorum Patrum reperiri poteſt; cumque adverſus aliquem ſcribunt, quorum præcipua & unica fundamenta ſunt loca Sacræ Scripturæ aut Patrum, ne ſemel quidem aut vix reſpondere dignantur rationibus è Patribus deductis; imo non ſemel magno animi mærore vidi & audivi ipſos, ubi urgerentur Patrum Authoritate,

Digitized by Google

thoritate; reſpondentes, tranſeat quod Patres hoc doceant; ego teneo contrarium.

10. Pii certè S. P. fideles deplorant hiſce in partibus, ubi hæreticis Catholici immixti vivunt, hunc SS. Patrum contemptum; ad quid enim vergere poteſt niſi & in magnum fidei noſtræ præjudicium? Cum enim in rebus fidei contra hæterodoxos continuo Eccleſia Catholica invictè urgeat SS. Patrum Authoritatem, nonne fundatè nobis regerent *quid vultis ut nos ſubjiciamus Authoritati Patrum in rebus fidei, cum & veſtri illam authoritatem vix curent, imo contemnant in rebus morum? An non tam bene divinæ traditionis authoritate mores dirigendi ſunt ac fides? An non tam fideles traditionum morum depoſitarii ſunt Patres quam fidei?* Quid quæſo hæreticis ſic argumentantibus cum fundamento reſpondere poſſumus ſi Eccleſia illum neotericorum quorumdam procedendi modum approbaret? Verum bene ſe habet quod ſatis clare conſtet Eccleſiam planè reprobare illum modum, prout ex ſupra citatis locis conſtat; hinc & ALEXANDER VII. in Bulla data anno 1665. deplorat, *quod in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Eccleſiæ ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, ad quam noſtrum continuum ſtudium hominum mores revocare conatur,

non

non dubitamus quin Apoſtolicæ Sedi noſter qualiſcumque labor pergratus ſit futurus.

11. Quia autem inter SS. Patres præcipuè eminet S. Auguſtinus, quem *inter intemerata Eccleſiæ Doctores præcipuum & ſubtiliſſimum Evangelii ac Sacrarum Literarum ſcrutatorem*, vocavit SIXTUS IV. quem & Veſtræ Sanctitatis Prædeceſſor, *fulgentiſſimum Chriſtianæ eruditionis jubar* appellavit & *Eccleſiæ Doctoris præcellentiſſimi* titulo condecoravit; hinc & illius præſertim principiis inhæremus, illius Authoritate munimur, illius diſcipulos nos profitemur & ab ejus doctrina, quouſque aliud definierit Eccleſia, nulla ratione divelli nos patimur, aſſerentes cum Melliſluo Eccleſiæ Doctore: *ab hac* Epiſt. 77 *columna Auguſtinum loquor, crede mihi difficile avellor, cum hac me aut errare aut ſapere fateor.* In Sancti hujus Patris laudibus exſpatiari poſſemus, verum (CLEMENTE X. teſte) *omnis humanæ laudis præconium longe ſupergreſſus eſt*.

12. Secundò Author illius libelli malè dicit quod *Pii Fideles* in Belgio noſtram deplorent doctinam, illiuſque proſcriptionem à Sanctitate tua expoſtulent: cum è contra Pii Fideles ingemiſcant ſibi fieri talem injuriam ut dicantur expoſtulare condemnationem doctrinæ, quam libentiſſimè

tiſſimè amplectuntur, quamque in magnam animarum ſalutem tendere vident & experiuntur. Fateor non pauci ſunt tum è Clero tum è ſæcularibus, quibus doctrinæ noſtræ ita inviſæ ſunt, ut non niſi earum prohibitionem deſiderarent, attamen id non tam ex amore veritatis quam ex deſiderio pernicioſæ libertatis, quia doctrinæ noſtræ carni & ſanguini, cujus commodo ſtudent, contrariæ ſunt, quia nimis ipſorum judicio coarctant ſalutis viam, quam ſibi vellent monſtrari tam latam & ſpatioſam, ut onuſti terrenis affectibus, mundi & carnis deliciis, illam liberè percurre poſſent, cum tamen æterna veritas anguſtam & arctam ſalutis viam eſſe affirmet, ſic ut pauci inveniant eam. Fateor carni & ſanguini difficillimam, imo & impoſſibilem, reddunt ſalutis viam, attamen non charitati, quæ nomen difficultatis ignorat, ſcit tamen illud æternæ veritatis pronunciatum: *à diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapient illud.* Eſt quidem jugum Chriſti ſuave & onus ejus leve, ſed ſoli charitati. *Math. 11.*

13. Quo jure ergo dicit Accuſator Pios fideles expoſtulare noſtræ doctrinæ proſcriptionem? Forte omnes illos Pios fideles appellat, qui fideliter ipſius ſententiis adhæ-

 rent;

rent; verumquomodo rectè dicuntur Pii fideles, qui omiſſis ſecuris & tutis ſalutis ſemitis, repudiatis infallibilibus rectæ operationis regulis, aleam ſuæ ſalutis confidunt neſcio quibus incertis & periculoſis probabilitatibus, & laxis doctrinis, de quibus nuper Beatorum albo adſcriptus Joannes

In Sent. ſent. 72. à Cruce dicit: *Si quis tibi perſuadere conetur doctrinam laxam, tametſi miraculo eam confirmet, ei non credas*? Non ſic incertò auderent procedere in negotio corporum & bonorum corporalium, ac bene in negotio animæ, ſicque filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

Quomodo Pii fideles, qui contra omnia amicitiæ jura audent committere actiones quando probabilius ſeu veriſimilius eſt illis graviter inhonorandam & offendendam divinam Majeſtatem? Non ſic auderent procedere cum Rege terreno ſicut cum Regum Rege. Certè vera piorum fidelium charitas non tantum ſummopere abhorret divinam offenſam, ſed & omne ejus periculum, potiuſque ſe exponeret omnium temporalium periculo quam periculo incurrendi divinam offenſam, cum per hoc quod ſeſe exponat periculo ejus jam certò erret, & divinæ Majeſtatis juſtam indignationem incurrat, nam qui amat periculum peribit in illo.

14. Tertiò magis infundatè dicit Accuſator *Eccleſiæ ſenſum primitivæ appellant Novi Doctores tam confidenter quam nullo jure. Sed Pii Fideles illi quorum nomine hæc informatur cauſa, ſenſus antiqui interpretem ſe habere certiſsimum autumant ſenſum Eccleſiæ hodie ſpectabilis; in quo quidem minime hallucinantur.*

Quod ſæpius appellent ad primitivæ Eccleſiæ ſenſum & praxim veriſſimè dicit, neque hoc ipſis vitio vertèt Apoſtolica Sedes, quo enim Eccleſia proximior fuit Chriſto & Apoſtolis; eò melius & vivacius ipſi traditiones innotuerunt, adeoque eo melius juxta illas de moribus judicium formare potuit; deinde in primitiva Eccleſia primævâ illâ charitate adhuc florente non ita mentem exæcarunt illa vitia quæ jam in Eccleſiam irrepſerunt. Hinc non raro Patres primitivam Eccleſiam fidelibus propoſuerunt tanquam optimam vitæ Chriſtianæ normam ac regulam.

Quod autem confidenter & nullo jure ad illam appellent, hoc ſine ullo jure nimis confidenter aſſeverat Accuſatòr; quod enim jure merito ad primitivæ Eccleſiæ ſenſum appellemus, non niſi illos, qui veritati oculos claudunt, latere poteſt, cum enim primitivæ Eccleſiæ ſenſus optimè exprimatur in veterum Patrum ſcriptis, & continuò illorum dogma-

ta inveſtigemus, & inculcemus, indubiè jure meritò & præſumimus & ſcimus doctrinam noſtram cum ſenſu primitivæ Eccleſiæ concordare, quidni ergo confidenter & ſummo jure appellemus ſenſum primitivæ Eccleſiæ in confirmationem doctrinæ noſtræ? Si & illi judici Accuſator cum ſociis ſuis acquieſcere vellet pax inita foret, ſed triumpharet cauſa noſtra.

15. Quod vero dicat Adverſarius Pios Fideles ſenſus antiqui habere certiſſimum interpretem, nempe ſenſum Eccleſiæ hodie ſpectabilis in eo minime hallucinatur. Nulla enim vel minima piæ menti incidit ſuſpicio, quin ſenſus Eccleſiæ modernæ quoad vitia & virtutes planè conſpiret & concordet, licet quoad exteriorem diſciplinam diſcordet, cum ſenſu primitivæ Eccleſiæ, cum enim, ut ſupra notavi, eodem Spiritu regatur moderna Eccleſia quo primitiva, neceſſe eſt ut idem nunc quoad vitia & mores judicium formet quod olim formavit; adeoque cum noſtra doctrina fundatè dicatur convenire cum ſenſu primitivæ Eccleſiæ, neceſſe eſt ut & conveniat cum ſenſu Eccleſiæ hodie ſpectabilis, cujus non parvum inditium ſuppeditavit ALEXANDER VII. in duabus Bullis proſcriptivis variorum dogmatum novorum Caſuiſtarum.

16. Scio

16. Scio quidem quod Adverſarius tam confidenter quam nullo jure prætendet ſuam doctrinam concordare planè cum ſenſu Eccleſiæ hodie ſpectabilis, hoc enim paſſim jactant & inculcant ejuſdem ſenſus Neoterici, huic debili ac falſiſſimo innitentes fundamento, *quod cum Eccleſia cognoſcat talia dogmata à ſuis ſubditis doceri, & illa non reprobet, cenſeatur tacitè in illa conſentire illaque approbare.* Attamen & hoc principium plane alienum eſt à ſenſu Eccleſiæ hodie ſpectabilis, nam ut dicit ALEXANDER III. *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium exigente juſtitiâ non debeant tollerari.* Qui & Pontifex alibi loquens de conſuetudine abuſiva dicit: *Quæ cum ſit Sacris Canonibus inimica, à nobis non approbatur, licet præ multitudine delinquentium à nobis emendari non poſſit.* Prudens enim Mater Eccleſia ſæpiſſime proſpicit, quod, ſi tunc pro ſua authoritate condemnaret aliquorum Doctorum novas & laxas opiniones, gravia inde tunc ſequerentur incommoda, majora quandoque quam ſperari poſſet bonum ſecuturum ad illarum prohibitionem, unde tunc diſſimulat tamdiu, donec alio tempore id præſtare poſſit cum minoribus incommodis. Sic ante ALEXANDRUM VII. cognovit bene Eccleſia laxas illas opiniones à variis Doctoribus doceri, & tamen

Cap. cū jamDudum *de Præbend.*

Cap. cū non ignores 14. *de Præb.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

jus eſt confirmare fratres ſuos in fide & moribus: illiuſque exſpectare ſententiam, cujus deſuper exigitur judicium, quemque non tam rationes humanæ. quam fortis & ſuavis Spiritus Sancti directio movet ad rei deciſionem.

7. Primò ergo Author in præfatione ad Tuam Sanctitatem valde infundatè me, alioſque (in illo libro accuſatos) quos omnes ſimul invidioſo nomine factionis compellat, vocat *Novos Doctores*: cum tamen mea in ſcribendo intentio in hoc unicè tendat & vergat (ſicut & aliorum) ut Theologiam Moralem reducamus, quantum poſſibile eſt, ad vera & genuina ſua principia, quæ ſunt *verbum Dei ſcriptum & traditum* ſicque ſecernamus Theologiam à Philoſophia, quæ nimium in Theologiam irrepſit. Hinc provenit quod, cum nobis immediatè Traditiones non innoteſcant, continuo conemur inſudare SS. Patrum libris, utpote qui ſunt fideles Traditionum depoſitarii, ut ex illis colligamus quid circa mores traditio habeat, & huic doctrinam & mores conformemus.

Non hæc tractandi Methodus à nobis noviter adinventa eſt, ſed ſemper Eccleſiæ in uſu fuit, & ab illa non ſemel decreto firmata; *ut rectam* inquiunt Concilii VIII. Conſtantinopolitani Patres,

regiamque

regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſa teneamus, Sanctorum Patrum correcta, veluti inextinctæ quædam ſemperque lucentes faces, ſequenda ſunt. Quapropter Sanctiones Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ per traditionem, tum à Sanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab orthodoxis Oecumeniciſque & Provincialibus Conciliis, aut à quovis Deiloquo Patre & Eccleſiæ Doctore acceptas, ſervandas, cuſtodiendaſque profitemur. Act. 10. cap. 1.

Hinc & GREGORIUS VII. ad reſtaurandam collapſam Eccleſiæ diſciplinam hac methodo quondam uſus eſt: *videntes*, inquit, *ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales has proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente Diabolo conculcatas, concuſſi periculo & manifeſtâ perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtra ſtatuentes, ſed primam & unicam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Regulam eſſe tritam SS. Patrum viam, relicto errore, repetendam & ſectandam eſſe cenſuimus* &c. An vitio verti nobis poteſt SS. PP. & non potius honori & laudi, quod hujus celebris Anteceſſori veſtri veſtigia premimus?

Judicet ergo Sanctitas Veſtra an hæc famoſa regula, quam ut fundamentum doctrinæ noſtræ ponimus, redargui debeat.

Nulla

Nulla eſt certior regula qua-
que facilius in materia fidei &
morum errorem eſſugere poſ-
ſimus, quam ſi ſtudiosè at-
tendamus, quid antiquitati,
SS. PP. traditionibus, & priſ-
cis Eccleſiæ moribus atque in-
ſtitutis conveniat.

9. Attamen hoc veriſſimum eſt quod ſimus *novi Doctores* apud Accuſatorem, ſuoſque ſocios; quibus nihil ita obſoletum nihil ita antiquatum eſt quam veterum, quoad mores, placita Patrum: cum hiſce, neſcio quæ præferant magis Philoſophica quam Theologica inventa, ne dicam figmenta, magis locis Topicis Ariſtotelis conformia, quam cæleſtis morum magiſtri Chriſti maximis correſpondentia. Hinc in ipſorum libris Theologiam Moralem concernentibus ne veſtigium propemodum ſententiæ Sanctorum Patrum reperiri poteſt; cumque adverſus aliquem ſcribunt, quorum præcipua & unica fundamenta ſunt loca Sacræ Scripturæ aut Patrum, ne ſemel quidem aut vix reſpondere dignantur rationibus è Patribus deductis; imo non ſemel magno animi mærore vidi & audivi ipſos, ubi urgerentur Patrum Authoritate,

Digitized by Google

thoritate ; reſpondentes, tranſeat quod Patres hoc doceant; ego teneo contrarium.

10. Pii certè S. P. fideles deplorant hiſce in partibus, ubi hæreticis Catholici immixti vivunt, hunc SS. Patrum contemptum; ad quid enim vergere poteſt niſi & in magnum fidei noſtræ præjudicium? Cum enim in rebus fidei contra hæterodoxos continuo Eccleſia Catholica invictè urgeat SS. Patrum Anthoritatem, nonne fundatè nobis regerent *quid vultis ut nos ſubjiciamus Authoritati Patrum in rebus fidei, cum & veſtri illam authoritatem vix curent, imo contemnant in rebus morum? An non tam bene divinæ traditionis authoritate mores dirigendi ſunt ac fides? An non tam fideles traditionum morum depoſitarii ſunt Patres quam fidei?* Quid quæſo hæreticis ſic argumentantibus cum fundamento reſpondere poſſumus ſi Eccleſia illum neotericorum quorumdam procedendi modum approbaret? Verum bene ſe habet quod ſatis clare conſtet Eccleſiam planè reprobare illum modum, prout ex ſupra citatis locis conſtat; hinc & ALEXANDER VII. in Bulla data anno 1665. deplorat, *quod in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Eccleſiæ ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, ad quam noſtrum continuum ſtudium hominum mores revocare conatur,

non

Digitized by Google

non dubitamus quin Apoſtolicæ Sedi noſter qualiſcumque labor pergratus ſit futurus.

11. Quia autem inter SS. Patres præcipuè eminet S. Auguſtinus, quem *inter intemerata Eccleſiæ Doctores præcipuum & ſubtiliſſimum Evangelii ac Sacrarum Literarum ſcrutatorem*, vocavit Sixtus IV. quem & Veſtræ Sanctitatis Prædeceſſor, *fulgentiſſimum Chriſtianæ eruditionis jubar* appellavit & *Eccleſiæ Doctoris præcellentiſſimi* titulo condecoravit; hinc & illius præſertim principiis inhæremus, illius Authoritate munimur, illius diſcipulos nos profitemur & ab ejus doctrina, quouſque aliud definierit Eccleſia, nulla ratione divelli nos patimur, aſſerentes cum Mellifluo Eccleſiæ Doctore: *ab hac columna Auguſtinum loquor, crede mihi difficile avellor, cum hac me aut errare aut ſapere fateor.* In Sancti hujus Patris laudibus exſpatiari poſſemus, verum (Clemente X. teſte) *omnis humanæ laudis præconium longe ſupergreſſus eſt.*

Epiſt. 77

12. Secundò Author illius libelli malè dicit quod *Pii Fideles* in Belgio noſtram deplorent doctinam, illiuſque proſcriptionem à Sanctitate tua expoſtulent: cum è contra Pii Fideles ingemiſcant ſibi fieri talem injuriam ut dicantur expoſtulare condemnationem doctrinæ, quam libentiſſimè

tiſſimè amplectuntur, quamque in magnam animarum ſalutem tendere vident & experiuntur. Fateor non pauci ſunt tum è Clero tum è ſæcularibus, quibus doctrinæ noſtræ ita inviſæ ſunt, ut non niſi earum prohibitionem deſiderarent, attamen id non tam ex amore veritatis quam ex deſiderio pernicioſæ libertatis, quia doctrinæ noſtræ carni & ſanguini, cujus commodo ſtudent, contrariæ ſunt, quia nimis ipſorum judicio coarctant ſalutis viam, quam ſibi vellent monſtrari tam latam & ſpatioſam, ut onuſti terrenis affectibus, mundi & carnis delitiis, illam liberè percurre poſſent, cum tamen æterna veritas anguſtam & arctam ſalutis viam eſſe affirmet, ſic ut pauci inveniant eam. Fateor carni & ſanguini difficillimam, imo & impoſſibilem, reddunt ſalutis viam, attamen non charitati, quæ nomen difficultatis ignorat, ſcit tamen illud æternæ veritatis pronunciatum: *à diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapient illud.* Eſt quidem jugum Chriſti ſuave & onus ejus leve, ſed ſoli charitati. *Math. 11.*

13. Quo jure ergo dicit Accuſator Pios fideles expoſtulare noſtræ doctrinæ proſcriptionem? Forte omnes illos Pios fideles appellat, qui fideliter ipſius ſententiis adhæ-

 rent;

rent; verumquomodo rectè dicuntur Pii fideles, qui omiſſis ſecuris & tutis ſalutis ſemitis, repudiatis infallibilibus rectæ operationis regulis, aleam ſuæ ſalutis confidunt neſcio quibus incertis & periculoſis probabilitatibus, & laxis doctrinis, de quibus nuper Beatorum albo adſcriptus Joannes

In Sent. ſent. 72. à Cruce dicit: *Si quis tibi perſuadere conetur doctrinam laxam, tametſi miraculo eam confirmet, ei non credas?* Non ſic incertò auderent procedere in negotio corporum & bonorum corporalium, ac bene in negotio animæ, ſicque filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

Quomodo Pii fideles, qui contra omnia amicitiæ jura audent committere actiones quando probabilius ſeu veriſimilius eſt illis graviter inhonorandam & offendendam divinam Majeſtatem? Non ſic auderent procedere cum Rege terreno ſicut cum Regum Rege. Certè vera piorum fidelium charitas non tantum ſummopere abhorret divinam offenſam, ſed & omne ejus periculum, potiuſque ſe exponeret omnium temporalium periculo quam periculo incurrendi divinam offenſam, cum per hoc quod ſeſe exponat periculo ejus jam certò erret, & divinæ Majeſtatis juſtam indignationem incurrat, nam qui amat periculum peribit in illo.

Digitized by Google

14. Tertiò magis infundatè dicit Accuſator *Eccleſiæ ſenſum primitivæ appellant Novi Doctores tam confidenter quam nullo jure. Sed Pii Fideles illi quorum nomine hæc informatur cauſa, ſenſus antiqui interpretem ſe habere certiſſimum autumant ſenſum Eccleſiæ hodie ſpectabilis; in quo quidem minime hallucinantur.*

Quod ſæpius appellent ad primitivæ Eccleſiæ ſenſum & praxim veriſſimè dicit, neque hoc ipſis vitio vertèt Apoſtolica Sedes, quo enim Eccleſia proximior fuit Chriſto & Apoſtolis; eò melius & vivacius ipſi traditiones innotuerunt, adeoque eo melius juxta illas de moribus judicium formare potuit; deinde in primitiva Eccleſia primævâ illâ charitate adhuc florente non ita mentem exæcarunt illa vitia quæ jam in Eccleſiam irrepſerunt. Hinc non raro Patres primitivam Eccleſiam fidelibus propoſuerunt tanquam optimam vitæ Chriſtianæ normam ac regulam.

Quod autem confidenter & nullo jure ad illam appellent, hoc ſine ullo jure nimis confidenter aſſeverat Accuſatòr; quod enim jure merito ad primitivæ Eccleſiæ ſenſum appellemus, non niſi illos, qui veritati oculos claudunt, latere poteſt, cum enim primitivæ Eccleſiæ ſenſus optimè exprimatur in veterum Patrum ſcriptis, & continuò illorum dogma-

ta inveſtigemus, & inculcemus, indubiè jure meritò & præſumimus & ſcimus doctrinam noſtram cum ſenſu primitivæ Eccleſiæ concordare, quidni ergo confidenter & ſummo jure appellemus ſenſum primitivæ Eccleſiæ in confirmationem doctrinæ noſtræ? Si & illi judici Accuſator cum ſociis ſuis acquieſcere vellet pax inita foret, ſed triumpharet cauſa noſtra.

15. Quod vero dicat Adverſarius Pios Fideles ſenſus antiqui habere certiſſimum interpretem, nempe ſenſum Eccleſiæ hodie ſpectabilis in eo minime hallucinatur. Nulla enim vel minima piæ menti incidit ſuſpicio, quin ſenſus Eccleſiæ modernæ quoad vitia & virtutes planè conſpiret & concordet, licet quoad exteriorem diſciplinam diſcordet, cum ſenſu primitivæ Eccleſiæ, cum enim, ut ſupra notavi, eodem Spiritu regatur moderna Eccleſia quo primitiva, neceſſe eſt ut idem nunc quoad vitia & mores judicium formet quod olim formavit; adeoque cum noſtra doctrina fundatè dicatur convenire cum ſenſu primitivæ Eccleſiæ, neceſſe eſt ut & conveniat cum ſenſu Eccleſiæ hodie ſpectabilis, cujus non parvum inditium ſuppeditavit ALEXANDER VII. in duabus Bullis proſcriptivis variorum dogmatum novorum Caſuiſtarum.

16. Scio

16. Scio quidem quod Adverſarius tam confidenter quam nullo jure prætendet ſuam doctrinam concordare planè cum ſenſu Eccleſiæ hodie ſpectabilis, hoc enim paſſim jactant & inculcant ejuſdem ſenſus Neoterici, huic debili ac falſiſſimo innitentes fundamento, *quod cum Eccleſia cognoſcat talia dogmata à ſuis ſubditis doceri, & illa non reprobet, cenſeatur tacitè in illa conſentire illaque approbare.* Attamen & hoc principium plane alienum eſt à ſenſu Eccleſiæ hodie ſpectabilis, nam ut dicit ALEXANDER III. *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium exigente juſtitiâ non debeant tollerari.* Qui & Pontifex alibi loquens de conſuetudine abuſiva dicit: *Quæ cum ſit Sacris Canonibus inimica, à nobis non approbatur, licet præ multitudine delinquentium à nobis emendari non poſſit.* Prudens enim Mater Eccleſia ſæpiſſime proſpicit, quod, ſi tunc pro ſua authoritate condemnaret aliquorum Doctorum novas & laxas opiniones, gravia inde tunc ſequerentur incommoda, majora quandoque quam ſperari poſſet bonum ſecuturum ad illarum prohibitionem, unde tunc diſſimulat tamdiu, donec alio tempore id præſtare poſſit cum minoribus incommodis. Sic ante ALEXANDRUM VII. cognovit bene Eccleſia laxas illas opiniones à variis Doctoribus doceri, & tamen

Cap. cũ jamDudum *de Prabend.*

Cap. cũ *non ignores* 14. *de Præb.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

men Eccleſia diſſimulavit, quod tamen illas non approbaverit licuit ex earum proſcriptione facta ab ALEXANDRO VII. Deinde, hoc principium tam bene confirmaret noſtram doctrinam ac Adverſariorum ſi aliquid probaret; novit enim Eccleſia noſtras ſententias publicè doceri & tamen illa non reprobat, ergo ſi cognoſcendo & non reprobando opinionem Eccleſia cenſeatur tacitè illi aſſentiri & illam approbare, planè dicendum foret quod noſtræ doctrinæ conſentiret illamque approbaret, etiam Adverſariorum judicio.

Hoc verbo notare debeo quod hic Accuſator dicat ſe nomine piorum informare Pontificem. Verum ſcire vellem à quibus Piis Fidelibus habeat commiſſionem nomine ipſorum id faciendi. Valde familiare hoc jam video Adverſariis quod, cum ſuas ſententias protulerint, dicant, *omnes ita docent, omnes ita practicant, judicium totius Orbis Catholici ſtat pro nobis*; & tamen ubi res diſcutitur vix aut pauci quandoque inveniuntur qui illis conſentiant, & adhuc tales quorum judicium non multum curandum eſt in ſimili negotio.

Math. 11.

17. Quartò, quod relinquarum Accuſationum caput eſt, accuſat me quod docuerim aliquas propoſitiones à PIO V. & GREGORIO XIII. proſcriptas, quam

Accuſa-

accuſationem antequam diluam proteſtor me tanquam humillimum Filium Eccleſiæ, in cujus obedientia vivere & mori vólo, recipere omnes Bullas Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. contra Bayum & Janſenium, & nolle unquam docere quod illæ prohibuerunt, ſicuti nec unquam docui aliquam ex condemnatis propoſitionibus; quod aſſeveranter affirmo, quia in omnibus caſibus, in quibus juxta Adverſarios Apoſtolicas Conſtitutiones prævaricatus fuiſſem, docendo condemnatas propoſitiones, fundo me iin clariſſimis S. Auguſtini principiis, adeoque non trado niſi veriſſimam S. Auguſtini doctrinam quæ toties ab Eccleſia laudata & quaſi Canonizata fuit, ut non ſit timendum quod condemnatam doceat ſententiam quia illius principiis inſiſtit, illius doctrinæ adhæret. Imo & aliquoties prædeceſſores tui S. P. non ſemel declararunt ſe proſcribendo propoſitiones vulgo Bayo adſcriptas, & condemnando quinque propoſitiones Janſenii, nullo modo intendere condemnare doctrinam S. Auguſtini; & eos coercendos eſſe aſſererent in illis Pontificum Bullis doctrinam Auguſtini condemnari, quod non pauci hic in Belgio aſſerere audebant, & Pii Fideles de-

 plora-

Digitized by Google

plorabant; quorum hi tantò magis pro tanti Patris Auguſtini authoritate pugnabant, quantò illi iſtam plus deprimere & minuere conabantur, videntes quod ipſorum dogmata facilè tanti Patris doctrinâ everterentur. Verum laus Deo tantum favente & adjuvante Eccleſiâ effectum eſt, ut jam merito tanquam Patrum Coripheus, tanquam Theologorum apex à Piis Fidelibus colatur.

Hic ſemper fuit S. P. & hæreticorum mos ac conſuetudo, ut cum Catholicorum argumentis preſſi reſiſtere amplius non poſſent, doctrinam illorum condemnatam clamarent; ſic Julianus cum ab Auguſtino premeretur Auguſtinum Manicheum eſſe & doctrinam Manicheorum tradere aſſerebat, uti patet ex libris quos Auguſtinus contra Julianum ſcripſit, ſicque & alii fecêre. Id autem faciunt tum ut illorum, contra quos ſcribunt, authoritatem diminuant, tum ut videantur nolle reſpondere argumentis quibus neſciunt fundatè contradicere, idque illo prætextu quod ab Eccleſia illa doctrina ſit condemnata adeoque reſponſionem non mereatur. Verum ſicuti adverſus Ruffinum ſcribit Hieronymus *bene ſe habet quod* Matthæi 11. *malitia non habet tantas vires, quantos conatus; perierat innocentia, ſi ſemper nequitiæ juncta eſ-*
ſet

ſet potentia, & *totum*, *quicquid cupit calumnia, prævaleret*; ita & bene ſe habet quod ipſorum aſſerere ſententiam eſſe condemnatam, non efficiat ſententiam eo ipſo condemnatam, quia alias jam ſana & illibata Patrum doctrina diu foret proſcripta: aderit ſemper afflictæ Eccleſiæ ſuæ Deus, qui ipſorum conatum irritum efficiet & confundet. Relinquit quidem interdum juſtus Deus Pios ac Doctos qui continuis lucubrationibus Eccleſiæ ſuæ utilitati inſudant multas pati contradictiones, injurias ac calumnias: Sic D. Gregorii magni Illuſtres commentarii ſtatim ab obitu tanti Pontificis ad ignem poſtulati fuere, prout teſtatur Joannes Diaconus in vita ejus; ſic & Angelici Doctoris Scholaſticorum principis variæ propoſitiones ſtatim à morte in Pariſienſi Academia tamquam erroniæ damnatæ fuêre, eoque proceſſum ut Pariſienſis Epiſcopus excommunicationis ſententiam contra illarum propoſitionum defenſores fulminaret; quæ tamen propoſitiones poſtea ab eadem univerſitate habitâ longâ earum diſcuſſione approbatæ ac ab errore liberæ declaratæ fuerunt. Idem contigit plurimis doctrinâ & ſanctitate illuſtribus. Facit autem hoc divina, providentia ut ea magis poſtea clareat veritas quò magis ſub errorum tenebris

 obfuſcata

Digitized by Google

obfuſcata fuit; magiſque confundantur illi qui antea veritatem deprimebant. Non raro enim vidimus quod quo quis in initio plures paſſus fuit doctrinæ ſuæ contradictores, eò plures poſtea habet approbatores & imitatores.

Unde fit conſequens quod non ſtatim quis ab incæpto pro Eccleſia labore deſiſtere debeat quamvis & ſtrenuum adverſarium & acrem & injuſtum reprehenſorem acquirat, quorum injurias & injuſtas cenſuras parum curare debet cum divina bonitas & ſapientia eas tandem vertet in bonum innocentis & majorem veritatis manifeſtationem quam & ſcriptis ſuis intendunt.

18. Hoc eſt S. P. quod, licet docti parum curent, ſimplices tamen Pii Fideles deplorant, Zeloſiſſimos pro gloria Dei & Eccleſiæ utilitate viros paſſim Bayaniſmi & Janſeniſmi accuſari, licet incompertò ſit quod nullam propoſitionem doceant quæ in Bayo & Janſenio condemnata eſt, imo licet & materiam tractent de qua neque Bayus, neque Janſenius unquam ſcripſit, vel licet illa de re aliquid ſcripſerint, in qua numquam condemnati fuerunt; indubiè enim viri illi licet errare potuerint, tamen multa docuerunt Eccleſiæ Catholicæ ſenſui conformia quæ ſicuti

Digitized by Google

ſicuti ex eò quod ab illis tractentur Bajana vel Janſeniana dici nequeunt, ſed revera Catholica dogmata manent, ita neque Bayani vel Janſeniani vocari poſſunt qui poſtBayum & Janſenium illam propugnant, quamvis & iiſdem, quibus Bayus & Janſenius, principiis innitantur: pro pace ergo Eccleſiæ omnino expediret quod obſtrueretur os loquentium iniqua, & & prohiberetur ne quis alteri notam Bayaniſmi & Janſeniſmi inurat niſi probari poſſet alterum aliquam ex propoſitionibus in Bayo & Janſenio condemnatis docuiſſe. Scandaloſus enim valde ille procedendi modus eſt, & hæreticis, quibuſ u n hic vivimus, anſam dat gloriandi & detrahendi noſtræ Eccleſiæ inſignem concordiæ notam, quâ hactenus contra omnes hæreſes gloriata & triumphata eſt Eccleſia noſtra. Tua Anthoritate S. P. hic opus eſt, *Authoritatis Sanctitatis tuæ facilius eos qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros* confidimus ergo *magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.* Quamvis enim meliori jure nos oſtendere poſſemus Adverſarios ſæpiſſime docere quæ in antiquis hæreticis olim reprobavit Eccleſia, hactenus tamen id non facimus ſed diſſimulamus, cum manſuetudine & patientia potius patien- *August. epiſt. 92 ad. Inno. Pontif.*

tes

tes injurias, quam malum pro malo reddendo puſillos ſcandalizaremus; verum neque patientia neque rationes noſtræ hactenus eos ad ſanam mentem reducere potuerunt. Nolo plura dicere de re tanta, *quia melius eam committo fidelium gemitibus, quam ſermonibus meis.* Et quia *cum iſtis non tam diſputationibus quam orationibus eſt agendum; plus eis ſine dubitatione præſtamus, ſi ut corrigantur oremus; ne cum tantis ingeniis vel pereant, vel alios perdant præſumptione damnabili, quia zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.*

De Nat. & Grat. cap. 25. Ep. 106.

19. Ut autem ad particulariora deſcendatur maximè culpor quoad explicationem Bullæ B. Pii V. & Gregorii XIII eò quod in libris meis aſſeram aliquas ex propoſitionibus in illa Bulla proſcriptis tantummodò eſſe condemnatas propter nimiam cenſuram, qua earum aſſertores perſtringebant opiniones quas Catholici Doctores adhuc ſuſtinebant, non verò propter doctrinam quam comprehendunt. Aſſertio iſta non eſt meum inventum aut figmentum, ſed illam jam à multis annis docuerunt è ſola Societate Jesu Suarez tom. 1. de Gratia Proleg. 6. cap. 2. num. 14. Turrianus 1. P. ſelect. cent. 3. diſp. 6. & diſp. 31. dub. 59. & Opuſc. de Gratia tit. ſpeciali de hac materia. Vaſquez 1. 2. diſp. 190. cap. 18. Quod idem Patri Vaſ-

quez

quez teſtatus eſt Toletus qui Lovanii juſſu Pontificis Bullam publicavit. Eandem Bullæ explicationem approbare debet Bellarminus, cum doceat hominem ſine gratia nullam minimam tentationem vincere poſſe ita ut non incidat in aliam, cum tamen una ex propoſitionibus in Bulla proſcriptis ſit. *Non ſoli fures ii ſunt & latrones qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant ſed etiam quicumque aliunde quam per ipſum in viam juſtitiæ hoc eſt aliquam juſtitiam conſcendi poſſe docent aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe ſic ut in eam non inducatur aut ab ea non ſuperetur.*

Hinc & conſequenter doceo quod nonnullæ ex illis condemnatis propoſitionibus aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab Authore intento uti patet ex Prop. 28. & 29. quæ demptis cenſuris in rigore & proprio verborum ſenſu ſuſtineri poſſent; licet jure meritò tanquam tunc ob cenſuras ſcandali occaſionem dantes ſint tanquam ſcandaloſæ condemnatæ, adeoque ab illis docendis abſtinemus. Id autem non eſt novum in Eccleſia, quod aliquæ propoſitiones quæ in rigore & proprio verborum ſenſu aliquo pacto ſuſtineri poſſent ab Eccleſia tanquam ſcandaloſæ condemnentur, quas iterum poſtea Eccleſia ceſſante ſcandalo

appro-

approbavit. Patet illud in hiſce propoſitibus, *D. Virgo eſt Chriſtipara: unus è Trinitate eſt paſſus.* Quæ olim proſcriptæ fuere, quas tamen jam tanquam orthodoxas tenet Eccleſia.

20. Quod autem ita explicando citatam Bullam irritam non faciamus illarum propoſitionum proſcriptionem, neque eludamus Pontificum mentem, ſatis patebit ſi conſideremus pauciſſimas vix 3. vel 4. eſſe in illa Bulla propoſitiones, quas putamus tantummodò propter cenſuræ acerbitatem & non propter doctrinam eſſe condemnatas, quarum tamen nullam unquam hactenus docui, neque ulla ex illis mihi ab Adverſariis de facto objicitur; ſed quæ mihi objiciuntur ab Adverſariis tantum abeſt ut illis conſentiam, ut è contra rectiſſimè tanquam falſas condemnatas aſſeram, & fundatè negem illas ex mea doctrina ſequi. Quod ne gratis aſſerere videar breviter hic oſtendere animus mihi eſt.

21. Docui in Tyrocinio Chriſtianæ Moralis Theologiæ, *dari verum præceptum naturale divinum omnia opera noſtra deliberata referendi in Deum tanquam ultimum finem*, idque juxta præceptum Apoſtoli 1. Corinth. cap. 10. verſ. 31. *ſive manducatis ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;*

Part. 1. *tract.* 2. *cap.* 6. §. 1.

cum

eum autem relatio illa operum in Deum fieri nequeat ſine Dei propter ſe ſaltem imperfecto amore, conſequenter docui omnia noſtra deliberata opera debere fieri ex aliquo Dei propter ſe amore; doctrinam hanc communi SS. Patrum Authoritate ſtabilivi in Tyrocinio noſtro loco citato, & latius in Tyrocinio defenſo cap. 1. §. 2. & tanta aliorum teſtium nube firmavi, ut non videam quomodo quis fundatè doctrinam illam arguere audeat; interim non deſunt qui & illam doctrinam in Bayo condemnatam aſſerant, inter quos hic eſt Accuſator in quem finem aſſerunt ſequentes propoſitiones condemnatas: *Omnia opera infidelium ſunt peccata & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Et omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Verum neutram ex hiſce vel quoad apperentiam ſequi ex noſtra doctrina uſque ad nauſeam oſtendi, fateorque utramque illam propoſitionem jure merito tanquam falſam eſſe damnatam, neque ullam cum noſtrâ ex Auguſtino aliuſque Patribus depromptâ doctrinâ habere connexionem.

22. Quantum enim ad primam, agnoſcimus cum S. Auguſt. in infidelibus quædam

dam opera, *quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam meritò rectèque laudamus: quamquam ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur.* Ut loquitur lib. Spir. & Litt. cap. 27. quando enim divina gratia aliquem ex infidelitatis tenebris ad lucem veritatis perducit, non ſimul & ſemel eum ab infidelitate transfert ad perfectam fidei cognitionem, ſed ſolet ſuaviter & fortiter omnia diſponens ſapientia divina ſenſim & ſenſim eouſque producere, primò infundendo illuminationem aliquam ex parte intellectus, ut videat tenebras ſuæ infidelitatis & cognoſcere incipiat divinam bonitatem & miſericordiam ad quam tendere incipit per piam affectionem quam voluntati infundit, in quo caſu ille adhuc infidelis ex aliquo Dei imperfecto amore quædam opera purè propter Deum operari poteſt. 2. Falſum eſt quod omnia infidelium opera ſint peccata, quia ipſorum opera indeliberata rationem planè prævenientia non ſunt peccata neque etiam illa quæ ex ignorantia invincibili faciunt.

Quoad ſecundam propoſitionem, illa etiam falſa eſt, quia omnium Theologorum judicio datur amor bonus medius inter vitioſam cupiditatem, qua mundus diligitor,

tur, quæ à Joanne prohibetur, & laudabilem illam charitatem qua per Spiritum Sanctum in corda diffuſa Deus amatur, nempe imperfectus ille Dei amor qui & non rarò in peccatoribus reperitur, & quo Catechumeni juxta Tridentinum ante Baptiſmum Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, & conſequenter falſum eſt, quod omnis amor creaturæ rationalis ſit aut vitioſa cupiditas, aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.

23. Dicunt quidem Adverſarii illas propropoſitiones eſſe condemnatas in ſenſu à Bayo intento, adeoque videndum eſſe ad ipſius ſenſum, in quo cum doctrina noſtra concordat: verum quamvis hoc falſum judicemus, ut alibi oſtendi, tamen licet verum foret, nihil doctrinæ noſtræ noceret: ſi enim verum foret quod Adverſarii prætendunt omnes illas propropoſitiones eſſe in ſenſu Bayi condemnatas, illumque omnes iſtas propoſitiones docuiſſe vel in libris, vel in dictatis, vel in Theſibus aut diſputationibus, ergo & neceſſario debuit docuiſſe has hæreticas propoſitiones: *Omne quod agit peccator vel ſervus peccati peccatum eſt.* Item, *in omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Quas propoſitiones Synodus Conſtantienſis in

 Joanne

Joanne Hus condemnavit cum proſcripſit hunc articulum 16. *Diviſio immediata humanorum operum eſt quod ſint vel virtuoſa vel vitioſa. Quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quidquam, tunc agit vitioſè: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi; ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* Jam autem neceſſariò ex hoc hæretico fundamento ſequuntur & duæ illæ propoſitiones mox explicatæ, quæ & in eodem ſenſu hæreticæ ſunt; infideles enim indubiè ſunt peccatores vel reatu originis vel additamento propriæ voluntatis, ut Auguſtini Phraſi utar, adeoque juxta illud falſum fundamentum omnia eorum opera ſunt peccata, neque in ullo peccatore poteſt reperi imperfecti Dei amoris actus, cùm omnes ejus actus juxta illam propoſitionem ſint peccata. Et in omnibus ſuis actibus peccator ſerviat dominanti cupiditati, unde ſequitur & illud conſequens, omnis amor creaturæ rationalis aut eſt vitioſa cupiditas in peccatoribus dominans, aut laudabilis illa charitas in juſtis regnans; hinc & ſequitur & aliud falſum dogma, quod non ſit vera legis obedientia ſine charitate perfecta, & ſimilia rectiſſimè à Sede Apoſtolica proſcripta.

24. Unde ſequitur quod ſive Bulla B.

Pii

Pii V. & Gregorii XIII. Condemnet illas propoſitiones in ſenſu ab Aſſertoribus intento, ſive declaret aliquas in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento poſſe ſuſtineri; parum nobis referat, quia & propoſitiones nobis objectæ ſecundum ſe & prout jacent ſunt falſæ, & in ſénſu ab Aſſertoribus intento debent neceſſariò eſſe hæreticæ, ex quo patet nullo modo fundatè dici poſſe quod impingamus in prædictam Bullam; ſicuti & falsò aſſeritur totius noſtræ doctrinæ condemnationem dependere à neſcio quo commate, quod Adverſarii prætendunt debere poni in Bulla, poſt illa verba, *in rigore & proprio verborum ſenſu*, ſic ut illa verba debeant per comma ſeu virgulam disjunctivam, ſeparari à ſequentibus, *ab Aſſertoribus intento.* Licet enim comma illud ibidem poni deberet, quod hactenus tamen non conſtat, ſalvâ equidem totâ doctrinâ noſtrâ perſiſteret; non enim tam debili doctrina noſtra innititur fundamento, ſed in concuſſis PP. principiis, quæ convellere Sedis Apoſtolicæ mens nunquam fuit.

25. Hoc ergo Adverſarii præſtare deberent, ſi aliquid efficere vellent, oſtendere doctrinam noſtram non eſſe fundatam & erutam ex principiis & doctrina SS. PP. quod nos prætendimus; an fundatè, ju-

 dicent

Digitized by Google

dicent, illi qui ſine præjudiciis rem totam conſiderant; verum id hactenus nullus ex Adverſariis præſtitit, ſed omnes hoc ſolo inani prætextu doctrinam noſtram evertere conantur, quod ſit à Sede Apoſtolica condemnata, & ne ſemel ad Patrum principia à nobis allegata reſpondere dignantur. Generalibus quibuſdam ſolutionibus nuper in quodam Theſi quidam ex Adverſariis conatus fuit reſpondere ad loca S. Auguſtini, quibus ſecundum nos aſtruit obligationem omnia deliberata opera ex Dei propter ſe amore debere procedere, & tendere in Deum tanquam finem ultitimum, verum quam infeliciter & alienè à mente illius Patris alibi oſtendi in Tyrocinio defenſo cap. 1. §. 5. Quibus enim verbis illam obligationem clarius aſtruere potuit, quam illis quibus utitur lib. 4. contra Julianum cap. 3.? ubi habet ſequentia: *cum non ad ſuum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur injuſti .... noveris itaque non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur ... abſit autem ut virtutes veræ cuiquam ſerviant, niſi illi vel propter illum cui dicimus. Deus virtutum converte*

Digitized by Google

verte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibus commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Deo ſerviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non benefacientibus à quibus fiunt. Hinc & defectu debiti finis, qui eſt Deus, virtutes Fabriciorum Scipionum aliorumque infidelium Romanorum vitio & peccato contaminatas fuiſſe probat, quia licet utcumque quæ legis ſunt naturaliter fecerint, in hoc tamen peccaverunt quod homines ſine fide non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.

26. Hoc autem & adhuc ſemel monere debeo quod mihi falsò affingatur quod docuerim omnia opera noſtra ut ſint undequaque bona debere procedere ex charitate perfecta; proteſtor enim me nunquam, vel publicè in ſcriptis aut diſputationibus, vel privatim in Scholis id docuiſſe, neque ſcio quod ullus in Belgio hactenus id docuerit, quamvis ſicuti & mihi ita & aliis

injuſtè affingatur. Non ille eſt Chriſtianus candor & ſimplicitas mendaciis & imposturis odioſam reddere doctrinam, quam fundatis rationibus evertere nequeunt. Is & ſemper fuit familiaris omnium hæreticorum mos, vel falſa dogmata Catholicæ Eccleſiæ affingere, vel Catholicorum dogmatum falſas explicationes allegare ut ſic Eccleſiæ Catholicæ authoritatem detraherent, & facilius poſſent ejus dogmatum principia evertere, cum evertunt illa fundamenta quibus falsò dicunt Catholicam Eccleſiam ſua dogmata ſtabilire, quibus tamen Eccleſia nunquam uſa eſt. Ita & video non paucos Adverſariis facere, vel falſas ſententias nobis affingunt, ut v. g. quod doceamus; *attritionem de peccatis ex ſolo timore gehennæ procedentem eſſe malum; dolorem de peccatis qui requiritur cum Pœnitentiæ Sacramento debere procedere ex charitate perfecta*; & ſimiles, quas nunquam docuimus, vel ubi volunt veras noſtras doctrinas evertere, fingunt ſibi neſcio quas probationes, quibus aſſerunt noſtram doctrinam probari & ſtabiliri, quas tamen nunquam allegavimus, imo quas & falſas judicamus; cumque illas probationes longè & latè refutant, clamant noſtras doctrinas eſſe convictas, & tamen non noſtras doctrinas ſed proprios ingenii conce-

ptus

ceptus & figmenta oppugnant, ſicque revera de ſolis chimeris convictis triumphare poſſunt.

27. In hiſce ſolummodo caſibus, quod ſciam, hactenus contra me Adverſarii urſerunt Authoritatem Bullæ Pii V. & Gregorii XIII. & ſolum illas propoſitiones jam recenſitas & explicatas ex doctrina mea ſequi aſſeruerunt, an rectè Tua Sanctitas judicabit. Non dubito enim quin Sanctitatis veſtræ judicium verget in noſtræ innocentiæ favorem; præſertim cum præter SS. PP. celeberrimi in Eccleſia viri etiam poſt prædictam Bullam Pii V. & Greg. XIII. ſine ullo ſcrupulo doceant hanc noſtram doctrinam quam Adverſarii in illa Bulla damnatam aſſerunt, inter quos nuperrimè fuit Cardinalis Bona vir quem totus orbis ob eminentem doctrinam ac pietatem veneratur; qui illam doctrinam tradidit in aureo ſuo libello de principiis vitæ Chriſtianæ Romæ à Magiſtro S. Palatii approbato part. 1. §. per totum: quam doctrinam ipſemet Pius V. in Catechiſmo Romano juſſu ſuo compoſito ac toti Eccleſiæ propoſito approbavit.

28. Non enim præſumendum eſt quod ille Pontifex in citata Bulla voluit proſcribere doctrinam, quammet toti Eccleſiæ propoſuit; & quæ uſque in hunc diem in

eodem Catechiſmo manet. Speramus quod ſub patrocinio tuæ Sanctitatis tandem tutò & liberè hanc poterimus doctrinam piis fidelibus proponere, cujus praxi ad ſummum perfectionis apicem pervenire poſſunt. Et quidem facillimè, ſi in iis prædominetur Dei charitas, quam S. Bernardus, vel quiſquis eſt Author lib. 3. de Amore Dei cap. 1. *virtutum omnipotentem appellat*, eò quod & maximè ardua & difficiliora opera facilè propter Deum operetur; hinc & Apoſtolus aſſerebat, *omnia poſſum in eo qui me conſortat.* Unde ſequitur non ita impoſſibile adimpletu eſſe hoc præceptum ſicuti quidam ſibi falſo imaginantur & clamant, ſicuti enim prędominans mundi vel carnis cupiditas facit avarum & luxurioſum omnia ſua etiam ardua libenter agere & pati ut ad intentum perveniant finem, cur id in juſto efficere non poſſet prædominans Dei charitas virtus illa omnipotens? Verum quidem eſt quod illud præceptum à nullo homine in hac vita (exceptâ immaculatâ Dei Genetrice Mariâ) ita perfectè, plenè, conſtanter & perſeveranter adimpleverit aut adimplebit quin quandoque leviter contra illud peccetur, unam alteramve deliberatam actionem non referendo in Deum, ſed ſiſtendo in creaturâ, verum per hoc nullo modo illud

lud præceptum obſervatu impoſſibile dici debet, niſi velimus dicere illud naturale divinum præceptum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Obſervatu impoſſibile eſſe, cum nullus etiam tam perfectè, plenè, conſtanter & perſeveranter illud adimpleat quin quandoque leviter contra illud peccet; deinde & illud naturale præceptum, *declina à malo & fac bonum*, deberet dici impoſſibile, cum & illud nullus homo perfectè & plenè adimplere ita poſſit ut numquam contra illud venialiter peccet.

Eatenus ergo juſto facilè eſt adimplere præceptum omnia opera deliberata referendi ultimatè in Deum, quatenus adjuvante divinâ charitate efficere poteſt ut contra illud mortaliter non delinquat, ponendo finem ſimpliciter ultimum in creatura; quamvis quandoque venialiter contra illud delinquat, unâ alterâve actione hærendo in creaturâ tanquam fine ultimo ſecundum quid, illius nempe actionis, aut illius particularis ſeriei actionum connexarum; quod in doctrina S. Thomæ, non eſt contra legem ſed preter legem.

29. Neceſſarium quidem eſt ad conſequendam ſalutem æternam & adimplendum primum maximumque mandatum omnes obligans ſub pœna æternæ damna-

32. Quod attinet *ad ſcopum hujus dogmatis*; non eſt fideles ſcrupuloſos reddere, quamvis bonum foret quod multi parum eſſent ſcrupuloſi, qui jam plenâ ſecuritate malis deſideriis & cupiditatibus frena laxant ad omnia vitia; non eſt fidelibus imponere præceptum quod eſt impoſſibile & humanas vires divinâ gratiâ adjutas ſuperat, ſicque illos ad deſperationem inducere; hoc enim dilectionis præcepto, quod urgemus, foret contrarium; ſed eſt ignem charitatis, quem Dei filius venit mittere in terram, & quem in omnibus deſiderat accendi, in cordibus fidelium accendere, & ita fovere ut jugiter in ara cordis ardeat quantum in hac miſeriæ ſtatu poſſibile eſt; ut Pii fideles pro modulo in hac vita continuò inſiſtant Dei amori, quo in Patria indeſinenter Deo adhærentes erunt beati; ſicque quodammodo beatam vitam incipiant in hac vita; ut Pii fideles ſic diſcant uti hoc mundo tanquam non utantur, id eſt ut non diligant; ut Pii fideles cognoſcant omnes creaturas ſibi debere eſſe vehicula & ſcalas quibus mente & affectu aſcendere debent ad earum creatorem, illum in omnibus creaturis honorando & amando; ut verbo dicam, Scopus dogmatis eſt Pios fideles perducere ad vitam verè Piam, verè Chriſtianam, ad vitam

vitam talem, ut & vita JESU in ipſis manifeſtetur; ad vitam talem, ut non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt CHRISTUS; ad vitam talem, ut poſſint dicere cum Apoſtolo: *vivo ego jam non ego; vivit verò in me* CHRISTUS; ad vitam talem, ut mortui & crucifixi mundo vivant ſoli Deo; talem enim vitam decet Chriſtianos, quos ad ſtatum ſanctitatis & perfectionis CHRISTUS vocavit. Non enim ſibi perſuadere debent pii fideles ſolos Religioſos obligari vi profeſſionis Religioſæ tendere ad perfectionem & ſanctitatem, non verò ſæculares, id enim alienum eſt à perfectione Chriſtianiſmi, omnes enim Baptizati vi profeſſionis factæ in Baptiſmo obligantur ad perfectionem; & regulæ Evangelicæ perfectionis non ſolis Religioſis ſed omnibus Chriſtianis traditæ ſunt ut docet bene Cardinalis Bona in Principiis vitæ Chriſtianæ part. 1. §. 6. Hoc ſolum inter Religioſos & ſæculares intervenit diſcrimen, quod Religioſi ſolemnium votorum ac Regularium vinculis devincti ſtrictiori jure, quam ſæculares ad perfectionem teneantur, cum ultra obligationem profeſſionis factæ in Baptiſmate vi profeſſionis factæ in religione novo obligationis vinculo ad eandem perfectionem obligentur tendere, ad quam

obliga-

Digitized by Google

dicent, illi qui ſine præjudiciis rem totam conſiderant; verum id hactenus nullus ex Adverſariis præſtitit, ſed omnes hoc ſolo inani prætextu doctrinam noſtram evertere conantur, quod ſit à Sede Apoſtolica condemnata, & ne ſemel ad Patrum principia à nobis allegata reſpondere dignantur. Generalibus quibuſdam ſolutionibus nuper in quodam Theſi quidam ex Adverſariis conatus fuit reſpondere ad loca S. Auguſtini, quibus ſecundum nos aſtruit obligationem omnia deliberata opera ex Dei propter ſe amore debere procedere, & tendere in Deum tanquam finem ultimum, verum quam infeliciter & alienè à mente illius Patris alibi oſtendi in Tyrocinio defenſo cap. 1. §. 5. Quibus enim verbis illam obligationem clarius aſtruere potuit, quam illis quibus utitur lib. 4. contra Julianum cap. 3.? ubi habet ſequentia: *cum non ad ſuum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur injuſti .... noveris itaque non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur ... abſit autem ut virtutes veræ cuiquam ſerviant, niſi illi vel propter illum cui dicimus. Deus virtutum converte*

verte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibus commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Deo ſerviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non benefacientibus à quibus fiunt. Hinc & defectu debiti finis, qui eſt Deus, virtutes Fabriciorum Scipionum aliorumque infidelium Romanorum vitio & peccato contaminatas fuiſſe probat, quia licet utcumque quæ legis ſunt naturaliter fecerint, in hoc tamen peccaverunt quod homines ſine fide non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.

26. Hoc autem & adhuc ſemel monere debeo quod mihi falsò affingatur quod docuerim omnia opera noſtra ut ſint undequaque bona debere procedere ex charitate perfecta; proteſtor enim me nunquam, vel publicè in ſcriptis aut diſputationibus, vel privatim in Scholis id docuiſſe, neque ſcio quod ullus in Belgio hactenus id docuerit, quamvis ſicuti & mihi ita & aliis

injuſtè affingatur. Non ille eſt Chriſtianus candor & ſimplicitas mendaciis & imposturis odioſam reddere doctrinam, quam fundatis rationibus evertere nequeunt. Is & ſemper fuit familiaris omnium hæreticorum mos, vel falſa dogmata Catholicæ Eccleſiæ affingere, vel Catholicorum dogmatum falſas explicationes allegare ut ſic Eccleſiæ Catholicæ authoritatem detraherent, & facilius poſſent ejus dogmatum principia evertere, cum evertunt illa fundamenta quibus falsò dicunt Catholicam Eccleſiam ſua dogmata ſtabilire, quibus tamen Eccleſia nunquam uſa eſt. Ita & video non paucos Adverſariis facere, vel falſas ſententias nobis affingunt, ut v. g. quod doceamus; *attritionem de peccatis ex ſolo timore gehennæ procedentem eſſe malum; dolorem de peccatis qui requiritur cum Pœnitentiæ Sacramento debere procedere ex charitate perfecta*; & ſimiles, quas nunquam docuimus, vel ubi volunt veras noſtras doctrinas evertere, fingunt ſibi neſcio quas probationes, quibus aſſerunt noſtram doctrinam probari & ſtabiliri, quas tamen nunquam allegavimus, imo quas & falſas judicamus; cumque illas probationes longè & latè refutant, clamant noſtras doctrinas eſſe convictas, & tamen non noſtras doctrinas ſed proprios ingenii conceptus

ptus

Digitized by Google

ceptus & figmenta oppugnant, ſicque re-vera de ſolis chimeris convictis triumphare poſſunt.

27. In hiſce ſolummodo caſibus, quod ſciam, hactenus contra me Adverſarii urſerunt Authoritatem Bullæ Pii V. & Gregorii XIII. & ſolum illas propoſitiones jam recenſitas & explicatas ex doctrina mea ſequi aſſeruerunt, an rectè Tua Sanctitas judicabit. Non dubito enim quin Sanctitatis veſtræ judicium verget in noſtræ innocentiæ favorem; præſertim cum præter SS. PP. celeberrimi in Eccleſia viri etiam poſt prædictam Bullam Pii V. & Greg XIII. ſine ullo ſcrupulo doceant hanc noſtram doctrinam quam Adverſarii in illa Bulla damnatam aſſerunt, inter quos nuperrimè fuit Cardinalis Bona vir quem totus orbis ob eminentem doctrinam ac pietatem veneratur; qui illam doctrinam tradidit in aureo ſuo libello de principiis vitæ Chriſtianæ Romæ à Magiſtro S. Palatii approbato part. 1. §. per totum: quam doctrinam ipſemet Pius V. in Catechiſmo Romano juſſu ſuo compoſito ac toti Eccleſiæ propoſito approbavit.

28. Non enim præſumendum eſt quod ille Pontifex in citata Bulla voluit proſcribere doctrinam, quammet toti Eccleſiæ propoſuit; & quæ uſque in hunc diem in

Digitized by Google

eodem Catechiſmo manet. Speramus quod ſub patrocinio tuæ Sanctitatis tandem tutò & liberè hanc poterimus doctrinam piis fidelibus proponere, cujus praxi ad ſummum perfectionis apicem pervenire poſſunt. Et quidem facillimè, ſi in iis prædominetur Dei charitas, quam S. Bernardus, vel quiſquis eſt Author lib. 3. de Amore Dei cap. 1. *virtutum omnipotentem appellat*, eò quod & maximè ardua & difficiliora opera facilè propter Deum operetur; hinc & Apoſtolus aſſerebat, *omnia poſſum in eo qui me confortat.* Unde ſequitur non ita impoſſibile adimpletu eſſe hoc præceptum ſicuti quidam ſibi falſo imaginantur& clamant,ſicuti enim prędominans mundi vel carnis cupiditas facit avarum & luxurioſum omnia ſua etiam ardua libenter agere & pati ut ad intentum perveniant finem, cur id in juſto efficere non poſſet prædominans Dei charitas virtus illa omnipotens? Verum quidem eſt quod illud præceptum à nullo homine in hac vita (exceptâ immaculatâ Dei Genetrice Mariâ) ita perfectè, plenè, conſtanter & perſeveranter adimpleverit aut adimplebit quin quandoque leviter contra illud peccetur, unam alteramve deliberatam actionem non referendo in Deum, ſed ſiſtendo in creaturâ, verum per hoc nullo modo illud

Digitized by Google

lud præceptum obſervatu impoſſibile dici debet, niſi velimus dicere illud naturale divinum præceptum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Obſervatu impoſſibile eſſe, cum nullus etiam tam perfectè, plenè, conſtanter & perſeveranter illud adimpleat quin quandoque leviter contra illud peccet; deinde & illud naturale præceptum, *declina à malo & fac bonum*, deberet dici impoſſibile, cum & illud nullus homo perfectè & plenè adimplere ita poſſit ut numquam contra illud venialiter peccet.

Eatenus ergo juſto facilè eſt adimplere præceptum omnia opera deliberata referendi ultimatè in Deum, quatenus adjuvante divinâ charitate efficere poteſt ut contra illud mortaliter non delinquat, ponendo finem ſimpliciter ultimum in creatura; quamvis quandoque venialiter contra illud delinquat, unâ alterâve actione hærendo in creaturâ tanquam fine ultimo ſecundum quid, illius nempe actionis, aut illius particularis ſeriei actionum connexarum; quod in doctrina S. Thomæ, non eſt contra legem ſed preter legem.

29. Neceſſarium quidem eſt ad conſequendam ſalutem æternam & adimplendum primum maximumque mandatum omnes obligans ſub pœna æternæ damna-

 tionis,

Digitized by Google

tionis, quod amor Dei prædominans ſuper omnia hæreat fundatus in corde noſtro quamdiu vivimus, ſed quâ conſequentiâ inde deducit Accuſator cap. 2. ſect. 2. dog. 5. fol. 36. futuram noxam lethalem ſi quis actionem quampiam in particulari ex amore Dei non refert in Deum? Docuimus ergo omnes cum R. D. Neeſen, non niſi peccatum veniale eſſe unam alteramve deliberatam actionem in Deum non referre, ſicuti inſinuavi in diſquiſitione noſtra Theologica de dilectionis neceſſariæ cum Sacramento Pœnitentiæ qualitate §. 12. fol. 76. quod optimè conſiſtit cum eò quod homines ſub mortali obligentur ſemper in ſe habere amorem Dei prædominantem, omnes enim indubiè ſub mortali obligantur eſſe & manere ſemper in ſtatu gratiæ ſanctificantis, quem ſtatim infallibiliter concomitatur amor Dei prædominans, verum non omnes ſemper ſub mortali obligantur quamcumque deliberatam actionem in particulari ex gratia ſanctificante ſeu amore prædominante facere.

30. Quantum ad *Originem dogmatis* hujus verè Chriſtiani, in quo continetur tota ſumma Religionis verè Chriſtianæ, & quod unicus quaſi cardo in quo vertitur vita veraciter pia, illa non eſt petenda ex Janſenio

Iprenſi

Iprenſi Epiſcopo, vel Vergerio Abbate Sancyrano, ut hic calumniatur Accuſaſator loco mox citato, cum ante Janſenium & Abbatem Sancyranum illam docuerint quatuor Theologi Tridentini Salmeron è Societate Jesu, Catharinus ex celeberrimo Ordine Prædicatorum, Heſſelius Doctor Lovanienſis & Hoſius Cardinalis & Seripandus ejuſdem Concilii Præſides variique alii Theologi & verbi Dei commentatores, quorum verba latè citavi in Tyrocinio defenſo. Verum Origo petenda eſt ex S. Scriptura & Patribus, quæ clarè ſatis hanc docent ſententiam, uti ibidem probavi. *Cap. 1. §. 2. & ſeq.*

31. Quoad *ſtatum hujus dogmatis*, laus Deo, eouſque perventum eſt ut jam breviori tempore pluribus in libris impreſſis præceptum illud Piis fidelibus inculcetur, quam negetur; imo eouſque doctrina illa incrementum cœpit ut contraria doctrina à variis Doctoribus & Epiſcopis ſit condemnata, & in illorum Diœceſibus proſcripta; ut varii Pii fideles aſſerant ſe illam magno cum fructu practicare, ut Concionatores & Catechiſtæ ad exemplum Catechiſmi Romani illam ſæpius populum doceant, & infantibus inſtillent, ſperamus quod ad majorem Dei gloriam tandem omnes illud præceptum admittent Pioſque fideles illud docebunt.

32.

32. Quod attinet *ad ſcopum hujus dogmatis*; non eſt fideles ſcrupuloſos reddere, quamvis bonum foret quod multi parum eſſent ſcrupuloſi, qui jam plenâ ſecuritate malis deſideriis & cupiditatibus fręna laxant ad omnia vitia; non eſt fidelibus imponere præceptum quod eſt impoſſibile & humanas vires divinâ gratiâ adjutas ſuperat, ſicque illos ad deſperationem inducere; hoc enim dilectionis præcepto, quod urgemus, foret contrarium; ſed eſt ignem charitatis, quem Dei filius venit mittere in terram, & quem in omnibus deſiderat accendi, in cordibus fidelium accendere, & ita fovere ut jugiter in ara cordis ardeat quantum in hac miſeriæ ſtatu poſſibile eſt; ut Pii fideles pro modulo in hac vita continuò inſiſtant Dei amori, quo in Patria indeſinenter Deo adhærentes erunt beati; ſicque quodammodo beatam vitam incipiant in hac vita; ut Pii fideles ſic diſcant uti hoc mundo tanquam non utantur, id eſt ut non diligant; ut Pii fideles cognoſcant omnes creaturas ſibi debere eſſe vehicula & ſcalas quibus mente & affectu aſcendere debent ad earum creatorem, illum in omnibus creaturis honorando & amando; ut verbo dicam, Scopus dogmatis eſt Pios fideles perducere ad vitam verè Piam, verè Chriſtianam, ad vitam

vitam talem, ut & vita JESU in ipſis manifeſtetur; ad vitam talem, ut non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt CHRISTUS; ad vitam talem, ut poſſint dicere cum Apoſtolo: *vivo ego jam non ego; vivit verò in me* CHRISTUS; ad vitam talem, ut mortui & crucifixi mundo vivant ſoli Deo; talem enim vitam decet Chriſtianos, quos ad ſtatum ſanctitatis & perfectionis CHRISTUS vocavit. Non enim ſibi perſuadere debent pii fideles ſolos Religioſos obligari vi profeſſionis Religioſæ tendere ad perfectionem & ſanctitatem, non verò ſæculares, id enim alienum eſt à perfectione Chriſtianiſmi, omnes enim Baptizati vi profeſſionis factæ in Baptiſmo obligantur ad perfectionem; & regulæ Evangelicæ perfectionis non ſolis Religioſis ſed omnibus Chriſtianis traditæ ſunt ut docet bene Cardinalis Bona in Principiis vitæ Chriſtianæ part. 1. §. 6. Hoc ſolum inter Religioſos & ſæculares intervenit diſcrimen, quod Religioſi ſolemnium votorum ac Regularium vinculis devincti ſtrictiori jure, quam ſæculares ad perfectionem teneantur, cum ultra obligationem profeſſionis factæ in Baptiſmate vi profeſſionis factæ in religione novo obligationis vinculo ad eandem perfectionem obligentur tendere, ad quam obliga-

obligabantur tendere vi ſolius profeſſionis factæ in baptiſmate, ſicque & Religioſi & Sæculares, diversâ licet viâ, ad eumdem terminum tendunt, ad quem nullus perveniet niſi ſit ſanctus & perfectus.

33. Hic eſt noſtræ doctrinæ Scopus, ſic *reformare* hominum mores, ut ita vivant ſicuti decet ſanctos, ut ſecundum regulam legis eternæ mores ſuos dirigant eique conforment: utinam id efficiamus.

34. Quod ſpectat ad vera *conſectaria hujus dogmatis* ſequitur. 1. Illicitum eſſe deliberatè ſiſtere in aliqua creatura. 2. Illicitum eſſe aliquid amare non in Deo, ſeu non propter Deum. *Nam ſordes ſunt animi amor quarumcunque rerum præter Deum*, ait S. Auguſtin. libro de utilitate credendi cap. 18. ſicuti enim aurum adulteratur, ſi ei commiſceatur argentum licet valde bonum, ita & adulteratur & impurus fit affectus ſi agglutinetur & commiſceatur amore rebus terrenis, quamvis de ſe bonis. *Non* intendimus per hæc docere *quod non ſit amanda creatura, ſed ſi ad creatorem referatur ille amor, non jam cupiditas, ſed charitas erit: tunc enim eſt cupiditas, cum propter ſe amatur creatura: tunc non utentem adjuvat ſed corrumpit fruentem*, ait idem S. Pater libro 9. de Trinit. cap. 8.

35. Quantum vero ad conſectaria, quæ

ex

ex dogmate noſtro deducit Accuſator, videndum breviter quâ fide illa deducat. Ponit ergo loco ſupra citato pro conſectario primò: *Virtutes Philoſophorum actiones ſuas non referentium in Deum per charitatem ſunt vitia.* Tum ſubjicit. *Virtutes cum appello dubitari non poteſt quin actus humanos ſeu deliberatos intelligam. Quare conſectarium admittet facilè incunctanter cum Havermano, Simone de Graef aliiſque.* Ita ne incunctanter admittimus illud conſectarium? Quid admittamus audi; admittimus in infidelibus quandoque opera undequaque bona ut ſupra ex Auguſtino vidimus; 2. Admittimus illa opera undequaque bona infidelium habere rationem veræ virtutis; unde non impingimus in Bullam Pii V. & Gregorio XIII. 3. Admittimus infideles peccare quoties deliberatè aliquod opus faciunt, id non referendo in Deum. Liquet id ex S. Auguſtin. lib. 4. contra Julian. cap. 3. exinde tamen non ſequitur propriè loquendo quod opera quæ faciunt & non referunt in Deum ſint peccata & vitia, ſed bene quod peccent qui talia opera ponunt, non enim peccant quia talia opera exercent, quia ſæpe ex objecto ſunt optima, ſed peccant quia tale opus in Deum non referunt. Non hæc fingimus ad evadendam cenſuram, ſed veriſſimam

mam continent S. Auguſtini doctrinam quam nobis inſinuat clarè lib. 4. contra Julian. cap. 3. ubi cum Julianus ab Auguſtino petiviſſet, *ſi gentilis nudum operuerit, nunquid, quia non eſt ex fide, peccatum eſt?* Reſpondet S. Auguſt. *prorſus in quantum non eſt ex fide peccatum eſt, non quia per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.* Ecce in tali caſu nudum operiens peccat, verum ipſum opus quod eſt nudum operire non peccatum; ſed peccatum conſiſtit in eò quod de tali opere non in Domino glorietur, ſeu quod illud opus non referat in gloriam Dei. Hinc collige Accuſator quod conſectarium illud, quod aſſeris incunctanter à nobis admitti, incunctanter à nobis negetur ſequi ex noſtto dogmate, ſi propriè velimus loqui.

36. Suppono autem quod Accuſator in primo ſuo conſectario per charitatem non intelligat perfectam charitatem, ſed ſub illa comprehendat quemcumque Dei propter ſe amorem & dilectionem, ſicut ille charitatis actus etiam in peccatore mortali peccato obnoxio reperiri poſſit, alias etiam conſectarium ex eo eſſet falſum, quod importaret quod requiratur perfectæ charitatis actus ad opera undequaque bona, hoc

hoc enim hactenus nullus docuit vel docere poteſt, cùm ſit hæreticum.

Hæc quoad primum conſectarium, non magis veritati conforme eſt ſecundum Accuſatoris conſectarium, quod ſubjungit hiſce verbis: *Non eſt abſoluta obſervatio legis, quæ fit ſine actu charitatis. Etenim hujuſmodi obſervatio legis peccatum eſt: & quidem contra primum Decalogi præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ut illi volunt.* Quis noſtrum unquam voluit obſervationem hujuſmodi legis eſſe peccatum contra primum Decalogi præceptum? Bonum eſt obſervare legem, ſed, ut ad primum conſectarium dixi, malum eſt illam legis obſervationem non facere propter Deum, & hoc eſſe contra primum Decalogi præceptum veniale peccatum. Colligitur ex S. Auguſtino lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 22. Quod cum ſæpius oſtenſum ſit, hìc latius probare nolo; tædet enim & pudet me quod toties hæc, & ſimilia repetere debeamus, verùm cogimur ab Adverſariis qui ſemper de novo veniunt cum iiſdem argumentis ad nauſeam ſolutis, & ſemper eadem urgent & nunquam ſolutionibus illis applicatis reſpondent.

37. Charitati ſtudent omnes Pii fideles Sanctiſſime Pater & non dubitamus quin doctrinis noſtris in charitate radicatis

 annuet

annuet Spiritus charitatis & veritatis qui te regit, qui Spiritus, teſte S. Auguſt. charitatis Doctore, in tota *Scriptura non præcipit niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem & eo modo informat mores hominum*, ut loquitur lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 10.

Petunt à te igitur S.P. doceri Pii fideles an non ſit tutum dicere cum S. Auguſt. lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 18. *quicquid ſe putaverit homo facere bene ſi fiat ſine charitate nullo modo fit bene*. Per charitatem intelligendo quemcumque Dei propter ſe amorem.

2. An non ſecurè poſſint docere illud Auguſtin. lib. 4. contra Julian. cap. 3. *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt*. Et iterum ibidem: *cum non ad ſuum referuntur Authorem dona Dei hoc ipſo mali his utentes efficiuntur injuſti*.

3. An non ſine nota cenſuræ dicere poſſint cum eodem S. Patre lib. de Dono Perſever. cap. 16. *gratia prævenit omnem obedientiam; prævenit etiam charitatem quâ unâ Deo veraciter & ſuaviter obeditur*. Et iterum quæſt. 15. ſuper Deuter. *cum verè fit opus legis charitate fit non timore*. Et cum S. Proſpero ſententia 257. deſumpta verbotenus ex Auguſtino lib. de Spiritu & Litt. cap. 14. *mandatum Dei ſi timore fit pœna, non amo-*

re

re juſtitiæ ſerviliter fit non liberaliter, & ideò nec fit; non enim bonus fructus, qui non de charitatis radice procedit.

4. An non cum eodem Proſpero ſententia 224. ſine contradictione aſſerere poſſint, *non ſunt bona opera, niſi quæ per fidem & dilectionem fiunt.*

5. An mereantur cenſuram eò quod aſſerant cum S. Auguſtino epiſt. 52. *non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.*

6. An poſſint reprehendi ſi cum S. Proſpero ſent. 112. deſumpta ex Auguſtino defendant: *Quomodo radix omnium malorum cupiditas eſt, ſic radix omnium bonorum eſt charitas.*

7. An non poſſint licitè dicere id quod S. Gregorius hom. 27. in Evangelia aſſerit, dicens: *Omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia unum præceptum: quia quicquid præcipitur in ſola charitate ſolidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt: ſic multæ veritates ex unâ charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis*

Hæ ſunt Chriſtianæ Moralis Theologiæ noſtræ Sanctiſſime Pater maximæ & principia, nihilque in hac materia aſſerimus quod ex hiſce liquidò non deducatur, unde Pii fideles ſperant & exoptant tuæ

Sanctitatis patrocinium ut ſancta illa doctrina ſtabiliatur & ab omnibus admittatur.

Petunt 2. Pii fideles doceri, an prædictæ Chriſtianæ maximæ & morum principia ac conſectaria inde deducta ullam habeant connexionem cum una ex propoſitionibus damnatis, quas ſupracitavimus, & quas omnes Pii fideles deteſtantur tanquam falſas?

38. Ut autem circa prædictam doctrinam mens noſtra melius pateat, proteſtamur hìc coram Tuâ Sanctitate nos tanquam falſa rejicere ſequentia dogmata, quæ Franciſcus Simonis factioni attribuit.

Primum eſt: *Omnis actus humanus eſt peccatum qui non exercetur ex amore Dei propter ſe.*

2. *Virtutes Philoſophorum actiones ſuas non referentium in Deum per charitatem ſunt vitia.* De quibus ſupra num. 35. & 36. egimus.

3. *Non eſt abſoluta obſervatio legis, quæ fit ſine actu charitatis.* Intelligendo per actum charitatis, charitatis perfectæ, vel qui procedit ab habitu charitatis.

4. *Omnis actus humanus, qui non exercetur ex amore Dei ſuper omnia peccatum eſt.*

5. *Omnis Actus Humanus, qui non exercetur ex charitate perfecta, ſeu juſtificante peccatum eſt.*

6. *Omnes actiones humanæ ſunt peccata, quæ fiunt extra ſtatum gratiæ, cum Deo.*

CA-

CAPUT II.

39. SEcundum doctrinæ noſtræ punctum in quo à Franciſco Simonis accuſor, eſt de contritione requiſita & neceſſaria cum Sacramento ad juſtificationem, & quamvis ex libris meis clarè ſatis pateat quid hac in parte doceam, ut tamen Accuſatori os obſtruatur, & de falſitate convincatur, Tuæ Sanctitati mentem meam breviter, & ſincerè declaro.

Docui ergo hactenus dolorem de peccatis qui ſit ſufficiens cum Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem debere procedere ex aliquo Dei propter ſe amore, quo pœnitens ſaltem incipit Deum diligere tamquam omnis juſtitiæ fontem, quod à Catechumenis requirit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. tamquam neceſſariam ad Sacramentum Baptiſmi diſpoſitionem.

Doctrina hæc continet unanimem ſenſum omnium SS. Patrum, ut alibi docuimus, adeoque & ab antiquitate firmiſſi-

Digitized by Google

mam habet probationem, & contraria vix à centum annis in Eccleſia cognita, de veritate ob novitatem aliquo modo eſt ſuſpecta, Ut autem pateat mens Auguſtini, cui præcipue ſtudemus, circa hanc noſtram, doctrinam, ſolum hic adduco duo ipſius loca: Primus locus ſumitur ex Sermone 7. de tempore, ubi ait: *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati & amor Dei.* Secundus deſumitur ex ejus tractatu 83. in Joannem, in quo ait: *Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam qui non diligit.*

40. Cognitâ mente noſtrâ, videamus an vera ſint, quæ nobis adverſarius affingit dogmata, in primis cap. 3. dogmate 9. fol. 57. factioni attribuit hoc dogma: *Lethaliter peccat qui de peccatis ſuis dolet ex metu gehennæ ſine charitate.* Verum plane falsò, cum nullus noſtrum hoc hactenus docuerit, ſed omnes tamquam plane falſum rejecerint. Quantum ad me ſufficienter & clarè in meo Tyrocinio oſtendi, me plane alienum eſſe ab iſto dogmate, nam tract. 1. cap. 6. §. 7. latè egi, *de bonitate & utilitate timoris gehennæ.* Vidit hoc quidem accuſator, ſed tacitè diſſimulavit, quâ ſinceritate id fecerit, *Tua Sanctitas* judicabit.

Ne autem ſine ullo plane fundamento Catholicis tam paradoxam doctrinam videatur nobis attribuere, conatur hoc deducere

ducere ex alio doctrinæ noſtræ dogmate, nempe ex eo quod doceamus homines obligari ex præcepto omnia ſua opera referre in Deum ex aliquo Dei propter ſe amore. Inſinuat hoc Franciſcus Simonis quando poſt citatum dogma immediatè ſubjungit: *Obſervatum ſupra eſt familiare factioni dogma: omnis actus humanus qui non exercetur ex charitate peccatum eſt, & quidem contra primum maximumque mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto cordo tuo &c.* Attamen in caſſum hic laborat, quamvis enim doceamus quod aliquis, qui opus aliquod in Deum non refert ex amore Dei, peccet, numquam tamen docuimus quod talis mortaliter delinquat, imo, ut ſupra notavi, clarè ſatis alibi expreſſi talem ſolummodo venialiter delinquere: nec refert in primum maximumque dilectionis mandatum talem impingere; quia, ut adhuc ſupra notavi, poteſt quis etiam venialiter contra illud præceptum peccare.

Hoc autem notandum, quod ideo hìc, uti & ſuperius, factioni omnimodo affingere conetur hoc falſum dogma: *Omnis actus humanus qui non exercetur ex charitate peccatum eſt*; ut ex illo hìc poſſet inferre, *ergo atteritio ex ſolo gehennæ metu, peccatum eſt*: verum uti antecedens, ita & conſequens falſum judicamus.

 41. Scivit

41. Scivit ſufficienter Accuſator quod abſurdum illud dogma per modum concluſionis deducere non poſſit, ex noſtra citata doctrina, unde, ne clarè primâ fronte appareat ejus falſitas ad aliam probationem confugit, poſt citata verba ſubjungens: *Sed verò ſpeciali ratione tuentur dogma quod propoſui* (nempe hoc: *Lethaliter peccat, qui de peccatis ſuis dolet ex metu gehennæ ſine charitate*) *Etenim ſic ſtatuunt, iſti dolori neceſſariò admixtum involuntarium, quod conſiſtat in quadam cupiditate conditionali, ſeu vellentate ipſius peccati, ſi non eſſet gehenna: lethalis eſt iſta cupiditas peccati, ſi peccatum iſtud lethale ſit, ut per ſe patet. Atqui, ut illi cenſent, dolori adhæret pertinaciter cupiditas illa, niſi major illam charitas opprimat quæ ſola id poteſt.* Et citato R. D. Neeſenio (qui longe etiam ab iſto dogmate alienus eſt) ſubjicit: *Eâdem ratione Havermanus in ſua itidem Theologia Morali nuper edita, de eo homine loquens, qui ante peccati deteſtationem habuit affectum erga peccatum, negat fieri poſſe ut ex ſolo gehennæ metu peccatum deteſtetur, ita ut non & velit peccare ſi non eſſet gehenna.* Verum ubi ſententia noſtra clarè & ſincerè propoſita eſt, mox apparebit illius probationis falſitas: quæ, ut pateat, notandum: hominem poſt commiſſum peccatum adhuc actu vel habitu continuare peccandi voluntatem, donec

debitè

debitè retractetur & excludatur: jam autem docemus cum S. Auguſtino quod nudus gehennæ metus illam voluntatem plenè excludere nequeat, ſed ad ſummum efficere poſſit ut peccator, qui ante metum efficacem habebat peccandi voluntatem, jam tantummodo retineat ſimplicem velleitatem peccandi ſi poſſet impunè, quam non niſi ſolus Dei amor illi opppſitus excludere poteſt juxta illud S. Auguſtini: *Deſiderium peccandi non extinguitur, niſi contrario deſiderio rectè faciendi ubi fides per dilectionem operatur.* Lib. 2. contra adverſarium legis cap. 7. quæ verba in ſententiis ſuis retulit S. Proſper. Qualis autem jam eſt illa conſequentia; ille qui ex metu gehennæ dolet de peccato ſine charitate adhuc retinet illam velleitatem, ergo lethaliter delinquit, dolendo de peccatis ex metu gehennæ ſine charitate? Vel Tyro in Theologia videt illam non ſubſiſtere. Non enim ſequitur: talis adhuc remanet in peccato, quia nondum ſufficienter retractatum eſt peccatum; ergo talis per illum actum doloris ex metu gehennæ ſine charitate lethaliter peccat. Non etiam ſequiquitur: timor ille gehennæ ſine charitate non plenè excludit voluntatem peccandi, ergo eſt mortale peccatum. Talis enim timor gehennæ de peccato hoc efficit bo-

ni, ut efficiat hominem minus peccatorem, cùm efficiat ut, qui antea habebat efficacem peccandi voluntatem ad quam ſubſequebatur peccatum, jam tantum retineat ſimplicem velleitatem peccandi ſi poſſet impunè, quæ eſt minus peccatum quam efficax voluntas peccandi: adeoque metus, ille neque peccatum eſt, neque peccatores pejores facit. Deinde quando dicit Franciſcus Simonis, *quod ſecundum nos dolori adhæreat pertinaciter cupiditas iſta, niſi major eam charitas opprimat quæ ſola id poteſt.* Id verum non eſt ſi loquamur de cupiditate quadam actuali, ſeu actuali velleitate peccandi ſi non eſſet gehenna: ut enim in Tyrocinio meo tract. 1. cap. 6. expreſsè docui, cupiditatem illam ſeu velleitatem quandoque tantummodo eſſe habitualem, quæ tamen etiam excluſa debet eſſe, antequam quis juſtificationis gratiam obtinere poſſet neque etiam propriè loquendo verum eſt quod cupiditas illa ſive velleitas adhæreat dolori ex ſolo metu gehennæ. Non enim magis adhæret iſti actui quam aliis actibus quos peccator elicit, ſed tantummodo mere per accidens concomitatur illum dolorem in eodem ſubjecto. Unde & dolor iſte non eſt cauſa iſtius cupiditatis, adeoque nec ipſi adſcribi poteſt multò minus ratione iſtius

vitiari,

vitiari, ſed adſcribi debet affectui inordinato ad creaturas, qui tam diu perſeverat donec contrario affectu ad creatorem expellatur. Ut latius oſtendi in Tyrocinio meo tract. 1. cap. 6. §.

42. Quantum ad dogmatis conſectarium (*nempe lethaliter peccat qui de peccatis ſuis dolet ex deſiderio ſalutis & beatitudinis æternæ ſine charitate*) quod nobis affingit fol. 60. illud plane falſum & hæreticum eſt, ſicut ex falſo & hæretico deducitur principio, quo everſo per ſe cadit ipſum conſequens, à nobis numquam vel implicitè aſſertum.

Quod autem ſubjungat fol. 60. me in Tyrocinio meo tract. 1. cap. 6. § 6. ſoli charitati munu aſſignare comprimendi cupiditatem attritioni annexam, id etiam falſum eſt, uti colligi poteſt ex meo Tyrocinio tract. 1. cap. 6. §. 7. ubi aſſero etiam metum ſervilem comprimere cupiditatem illam ſeu voluntatem peccandi, & quidem eò uſque, ut, ubi ante metum erat efficax voluntas peccandi, poſt metum ſolum remaneat ſimplex velleitas peccandi. Nonne multum compreſſa eſt voluntas peccandi quando efficitur ut ex efficaci fiat inefficax?

Ex dictis patet falſiſſimum eſſe quod ex noſtra doctrina ſequatur, pleriſque peccatoribus pœnitentiam eſſe interdicendam:

dam:

Digitized by Google

dam: fatemur enim cum Franciſco Simonis, ut ſe vocat, quod plerique peccatores ſoleant pœnitentiam auſpicari á metu gehennæ, quem concionatores, quem ſacræ paginæ incutiunt, atque à deſiderio ſalutis & beatitudinis æternæ. Id enim in terminis docui cum S. Auguſtino in Tyrocinio noſtro tract. 1. cap. 6. §. 7. ubi ad illud probandum attuli illum S. Auguſtini locum de Catech. rud. cap. 5. *Rariſſimè accidit, imo verò numquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Verum aſſerimus pœnitentiam non eſſe ad juſtificationem obtinendam ſufficientem ſi in ſolo peccator hæreat timore, & non aſcendat ad Dei amorem qui peccatum deteſtatur ut eſt Dei offenſa.

43. Quantum autem ad Dei propter ſe amorem, ex quo attritio cum Sacramento ſufficiens & neceſſaria procedere debet, quis & qualis requiratur ex mente noſtra, ſatis indicavimus in ſpeciali Tractatu ſeu Diſquiſitione quam deſuper in lucem edidi anno 1675. antequam libellus hic Franciſci Simonis lucem viderit ex qua diſquiſitione claré patet varia dogmata falſa factioni attribui.

Inprimis enim in iſta diſquiſitione §. 17. fol. 105. oſtendi ad veram & perfectam

contri-

contritionem non requiri charitatis certam extenſionem, ſeu per aliquod tempus durationem, cùm Dei miſericordia nonnunquam, quamvis non ita frequenter, peccatori infundat talem charitatem, ut ſe ſubitò & quaſi in inſtanti à creaturis avertat & ad Deum convertat; unde & Eccleſia non denegat beneficium abſolutionis illis qui toto vitæ tempore ſceleribus inhæſerunt, ſi ſe in extremo vitæ ad Deum convertant; hinc COELESTINUS Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ ait: *Salutem homini adimit quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit, & deſperat de clementia Dei qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit.* Ex quo conſtat falſum eſſe quod factio (uti nos calumniosè appellat F. Simonis) doceat, *contritioni, ut perfecta ſit, certâ opus eſſe duratione.* Quod tamen illi attribuit Franciſcus Simonis in fine dogmatis 8. fol. 56.

44. Hoc tamen libenter fatemur ejuſmodi ſubitaneas magnorum peccatorum perfectas converſiones non eſſe frequentes, ſed extraordinarias & miraculoſas ut loco citato in diſquiſitione notavi. Unde & ſemper Antiquis Patribus ſuſpectæ fuêre illæ pœnitentiæ, quas in ultimo vitæ termino peccatores agunt, ortumque eſt illud commune dictum: *Pœnitentia ſera raro vera,*

Digitized by Google

vera, hinc Auguſt. ſerm. 57. de tempore ait: *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari; ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi ... ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur.*

45. Secundò in eadem diſquiſitione §. 7. expreſsè docui tanquam verius & probabilius, quod cum Sacramento Pœnitentiæ non requiratur contritio perfecta, ſeu dolor ex perfecta charitate procedens. Unde cum nulla veritatis apparentia mihi affingi poteſt dogma 12. quod factioni attribuit Franciſcus Simonis fol. 75. *ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſaria eſt contritio perfecta & per ſe juſtificans.*

Verum quidem eſt quod loco citato ſententiam de neceſſitate contritionis perfectæ cum Sacramento Pœnitentiæ dixerim non eſſe improbabilem, attamen in eo graviſſimi Theologi mecum conveniunt; nec mirum, cum plerique veteres Scholaſtici illam ſententiam docuerint quos refero in diſquiſitione Theologica loco citato. Unde & Lopez hanc eſſe opinionem antiquorum aſſerit, quam & poſt Tridentinum teſte Morino ibidem viri graves & celebres amplexi fuêrunt & propugnaverunt. Hinc è Societate Jesu Paulus Comitolus

mitolus Reſponſ. Moral. lib. 1. quæſt. 32. num. 7. candidè nobiſcum fatetur: *Plures magnique Theologi in pœnitente, antequam abſolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt; nec uſque adeo certum eſt attritionem pœnitenti eſſe ſatis.*

46. Conſequenter ad hanc doctrinam loco citato in diſquiſitione docui dogma 11. quod fol. 70. habet Franciſcus Simonis: *non definivit Concil. Trid. contritionem perfectam non eſſe neceſſariam ad Sacramentum Pœnitentiæ.* Quod ibidem latius probavi, & ab objectionibus Adverſarii vindicavi, & oſtendi quod licet contritio perfecta ſtatâ & infallibili lege peccatorem juſtificet ſine actuali ſuſceptione Sacramenti (pro ut in eadem diſquiſitione §. 6. docui) equidem effectus Sacramenti Pœnitentiæ foret, *reconciliatio peccatoris cum Deo*, abſolutio Sacramentalis *verus actus judicialis*, quo ab ipſo ſacerdote velut à judice ſententia pronuntiatur, & non ſolum nudum miniſterium declarantis remiſſa eſſe peccata. Uti patet ex illo caſu in quo quis ſecundò abſolvitur à peccatis ſemel directè abſolutis & remiſſis, vel à peccatis de quibus prævie ad abſolutionem peccator elicuit contritionem perfectam, in quibus caſibus, licet abſolutio Sacerdotalis inveniat peccata jam remiſſa, tamen manet actus judicialis, & Sacerdos verè remittit

peccata

peccata reconciliat peccatorem Deo &c. doctrina hæc claré patet ex Hiſtoria Conc. Trid. à Cardinale Palavicino conſcripta.

47. Dices, Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap 6. definit inter diſpoſitiones neceſſarias in Catechumenis ad Baptiſmi Sacramentum requiri & ſufficere ut Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant, ergo de fide eſt quod eadem dilectio ſufficiat cum Sacramento Pœnitentiæ, atqui illa dilectio requiſita à Catechumenis tantùm eſt imperfecta dilectio; ergo de fide eſt quod imperfecta Dei dilectio ſufficiat cum Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem; ac conſequenter falſum eſt quod non ſit de fide quod non requiratur contritio perfecta cum Sacramento Pœnitentiæ.

Ad hoc argumentum facilis eſt reſponſio: in primis enim, quantum ad primum aſſumptum, ſicuti teſte Palavicino in Hiſtoria Concilii Tridentini, Concilium Tridentinum noluit definire quod cum Sacramento Pœnitentiæ requiratur aliquis Dei propter ſe amor quia variantes deſuper erant Catholicorum Scholaſticorum ſententiæ, licet omnes pœnè Tridentini Patres teſte eodem Palavicino in illam ſententiam inclinarent, *quia ſi pœnitentia tota* *Palav. lib. 8. cap. 13.* *eſſet ex timore, ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet*

propter

propter pœnam tantùm, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet: ita etiam putamus quod Concilium Tridentinum noluerit definire quod requiratur amor Dei in adultis cum Baptiſmo, quia de illa ſententia variantes ſunt Scholaſticorum opiniones, quamvis etiam ſufficienter ſuam mentem deſuper inſinuaverit.

Sicuti autem noluit Concilium definire quod requiratur amor Dei propter ſe cum Sacramento Baptiſmi, ita multò minus voluit definire ſufficere amorem Dei imperfectum, cùm & deſuper variarent Scholaſtici; & conſequenter noluit definire quod ſufficiat cum Sacramento Pœnitentiæ amor Dei imperfectus.

Quantum ad ſequelam aſſumpti, illa nullo modo ſubſiſtit licet aſſumptum verum foret, nullibi enim definit Concilium Tridentinum quod eadem plane dilectio requiratur & ſufficiat cum Sacramento Pœnitentiæ quæ requiritur & ſufficit cum Sacramento Baptiſmi, imo videtur quod ſicuti majores diſpoſitiones exigit à pœnitente quam à Catechumeno, quando aſſerit Sacramentum Pœnitentiæ *Seſſ.* 14. à Patribus laborioſum Baptiſmum dictum, *cap.* in quo non niſi magnis noſtris fletibus ad vitæ novitatem pertingere poſſumus, ita etiam majorem erga Deum amorem à

pœnitente exigat: ſicuti enim multò gravius eſt peccatum quod poſt baptiſmum committitur, ita & major dolor ac Dei amor de illo exigitur.

Quoad ſubſumptum, quod nempe illa dilectio quâ Catechumeni Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt quam à Catechumenis exigit Concilium, ſit tantùm dilectio Dei imperfecta illud non eſt de fide certum, neque veritas verborum illud exigit, cum & per amorem perfectum quandoque Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem Catechumeni incipiant diligere, qui enim creaturis affectu ſuo fuit immerſus, & jam per perfectum amorem ſe ad Deum convertit, indubiè incipit Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere.

Non hæc propugnamus illa intentione ut contritionem perfectam neceſſariam cum Sacramento aſſeramus, ſed I. ut animarum Rectores inſtigaremus ut pœnitentes ſemper ad contritionem perfectam hortarentur. II. Ut oſtendamus falſum plane eſſe, quod aliqui Neoterici non erubuerunt propugnare, Concilium Tridentinum definiviſſe attritionem ex puro gehennæ metu ſine aliquo actu dilectionis Dei adjuncto, ſufficere ad juſtificationem in Sacramento obtinendam, cujus contrarium

Digitized by Google

trarium clarè conſtat ex Hiſtoria Concilii Tridentini conſcripta à Cardinale Palavicino.

48. III. In eadem diſquiſitione §. 11. oſtendimus requiri cum Sacramento amorem Dei prædominantem, non qui ſit celebris ille Dei ſuper omnia amor, ſed qui ſit fortior præinexiſtente cupiditate, ſeu inordinato creaturarum amore, quia alias voluntatem peccandi non excluderet; quæ latius loco citato & ſeq. probavi, quæ brevitatis cauſa omitto. Amor autem ille, cum ſæpe ſit valde adhuc imperfectus, inſufficiens eſt ad juſtificationem ſine Sacramento, adeoque admittimus amorem Dei propter ſe qui ſufficiat cum Sacramento ad juſtificationem, & non ſufficiat ſine Sacramento; & conſequenter admittimus amorem Dei propter ſe qui, loquendo Scholaſticorum more, non ſit charitas; & hoc cum S. Thoma ſupplem. quæſt. 5. art. 3. *Amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficiat ad rationem charitatis.*

Dico, loquendo Scholaſticorum more, illi enim poſt S. Thomam, ad hoc ut Dei propter ſe amor dicatur charitas, requirunt ut ſit tam perfectus, ut ſit amicitia hominis cum Deo. Loquendo verò more S. Auguſtino aliiſque SS. Patribus familiari ac uſitato, omnis Dei propter ſe

amor vocatur charitas ; quem loquendi modum nos ſæpius imitati fuimus, judicantes quod, ſicuti ſecurè procedimus inhærendo S. Patrum doctrinæ in moralibus, ita & ſecurè poſſimus uti terminis ac modis loquendi ab ipſis uſitatis. Verùm non ita hoc placuit noſtris Adverſariis, qui nonniſi Scholaſticis inſudant, inde enim arripuerunt anſam nos calumniandi ac traducendi quaſi doceamus hominem obligari omnia ſua opera referre in Deum tanquam ultimum finem ex charitate perfecta; dolorem de peccatis, qui ſufficiat & neceſſarius ſit cum Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem, debere procedere ex charitate perfecta; quæ nunquam docuimus.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Ignorantia Juris Naturæ.

49. HActenus ſatis egimus de primo ac ſecundo doctrinæ noſtræ dogmate, quæ maximè in me culpat Accuſator, illaque abundè ab omni mala nota, quam illis inurere nititur, vindicavimus. Sequitur nunc ut tranſeamus ad tertium quod in me reprehendit doctrinæ noſtræ dogma, nempe quod doceam in prima parte Tyrocinii cap. 8. §. 13. *quod omnis ignorantia juris naturæ ſit vincibilis.* Numquam putaveram hanc aſſertionem ita reprehenſioni eſſe obnoxiam ut mereatur tamquam in Theologia error explodi, & tamquam Janſenianum dogma reprobari, cùm ſit ſententia in antiquitate & rationibus fundata. Fundamentum autem præcipuum ex ratione petitum pro hac ſententia eſt, quod omnis juris naturæ ignorantia vinci poſſit, vel per orationem à Deo impetrando gratiam, vel per dilectionem juſtitiæ, vel per reflexionem

1. Part. Tyrocyni cap. 8. §. 13.

flexionem ad regulas immutabiles quas manus formatoris ita indelebiliter inſculpſit tabulis cordis, quando ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Domini, ut, teſte Auguſtino, illas, *nec ipſa deleat iniquitas*, vel conſulendo doctiores vel denique auferendo malos affectus quibus creaturis adhæremus, quique valde mentem noſtram excæcant, cum quilibet judicet prout eſt affectus: quæ media omninò numquam deſunt homini quando operari debet, quod latius loco citato oſtendi & confirmavi, quæ fundamenta cum hactenus nondum everſa ſint, aſſertionem noſtram hactenus pro inconcuſſo dogmate tenemus.

Ut autem clarius pateat dogmatis hujus veritas, & conſtet non ita horridum eſſe, ut ſibi perſuadet Accuſator, vel ſaltem aliis perſuadere conatur, notandum tria communiter Theologos comprehendere ſub jure naturæ, nempe quædam univerſalia juris naturæ principia, ut ſunt, *Deus eſt colendus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Bonum eſt amplectendum, malum fugiendum.* Hæc principia à nemine rationis compote invincibiliter ignorari poſſe conſtans eſt Theologorum doctrina: hinc rectè dicit Sanctiſſimus Pater noſter Auguſtinus in Pſalm. 57. *Quandoquidem manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit: quod*

Aug. in Pſal. 57.

tibi

tibi non vis fieri ne facias alteri? Hoc, & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt: ut eſſet unde judicarentur, & quibus lex non eſſet data. Sed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt in talibus quod in cordibus non legebant. Non enim & ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum quod in conſcientia videre cogerentur: & quaſi forinſecus admotâ voce Dei, ad interiora ſua homo compulſus eſt, dicente Scripturâ: in cogitationibus enim impii, interrogatio erit. Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris ſunt, etiam à ſeipſis exules facti ſunt, data eſt etiam conſcripta lex: non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique eſt conprehenderis, & ad te ipſum intrò revocaris. Propterea ſcripta lex quid clamat eis qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus ſuis: redite prævaricatores ad cor. Quis enim te docuit, nolle accendi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit, nolle injuriam pati, & quicquid aliud vel univerſaliter vel particulariter dici poteſt: multa enim ſunt, de quibus ſingulis interrogati homines, clarâ voce reſpondeant nolle ſe pati. Age, ſi non vis pati iſta, numquid ſolus es homo? Nonne in Societate vivis generis humani? Qui tecum factus eſt, ſocius tuus eſt: & omnes facti ad imaginem Dei, niſi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formavit. Quod ergo, tibi non vis fieri, noli alteri facere. Judicas enim malum eſſe in eò quod

 pati

pati non vis: & hoc te cogit noſſe lex intima, in ipſo tuo corde conſcripta. Faciebas, & clamabatur inter manus tuas. Quomodo cogeris redire ad cor tuum, cum hoc pateris inter manus alienas? furtum bonum eſt? Non. Interrogo: adulterium bonum? Et omnes clamant: Non. Homicidium bonum eſt? omnes clamant deteſtari ſe. Concupiſcere rem proximi, bonum eſt? Non, vox omnium eſt. Aut ſi adhuc non confiteris, accedit qui concupiſcat rem tuam: placeat tibi, & reſponde quod vis. Omnes ergo de his rebus interrogati, clamant hæc bona non eſſe.

2. Quaſdam concluſiones quæ immediatè & evidenter ex prædictis deducuntur principiis, ut ſunt præcepta Decalogi, qui totus eſt juris naturæ, exceptâ determinatione cultus divini ad diem Sabbathi, & tam evidenter ex illis principiis ſequuntur ut facillimo negotio ab adulto inde deduci poſſint, & tam ſunt rationi conſentanea ut lumen rationis latere non poſſint. Patet hoc ex loco S. Auguſtini mox citato, ubi id bene probat de præceptis ſecundæ tabulæ, quod & de præceptis primæ tabulæ probat. Liquet etiam ex libro Confeſſionum, ubi loquens de particulari præcepto Decalogi, dicit: *Furtum enim punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas.*

Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap. 4.

3. Quaſdam

3. Quaſdam concluſiones, quæ licet ex primis principiis revera deducantur, non ita tamen immediatè & clarè, ſed obſcurè & remotè, ita ut nonnumquam contingat & inter Doctores diſputari an revera ſint juris naturæ præcepta, & hìc eſt difficultas an illa invincibiliter ignorari poſſint. Et quidem R. D. Neeſenius in ſua Theologia Morali Chriſtiana de Actibus Humanis, quam ſæpius aggreditur Accuſator in ſuo libello, docet illa invincibiliter ignorari poſſe præſertim dum teguntur aliquâ circumſtantiâ bonâ & honeſtâ. Rationem dat: nam licet hujuſmodi mala ex principiis per ſe notis deducantur, dubitari tamen non poteſt quin opus ſit magno rationis acumine ad ejuſmodi concluſiones ex primis principiis educendas: eapropter non ſolum Ethnici, aut etiam Chriſtiani indocti, ſed & inter illos quidem doctiſſimi horum nonnulla jure naturali licita ſunt arbitrati. *Tract. 6. quæſt. 4. dub. 8.*

50. Nos hactenus docuimus etiam illorum præceptorum legis naturæ ignorantiam hoc ſenſu eſſe vincibilem, quatenus ſi homo non deſit ſuæ obligationi, ſed ſine intermiſſione per orationes inſtet apud ſuperni luminis largitorem, *& vigiliis continuis*, ut loquitur S. Auguſt. *excubet ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus,* *Aug. 22. de Civ. cap. 23.*

 ne

ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur, practicè vincet illam ignorantiam; id eſt ita vincet ut non impingat in præceptium juris naturæ ignoratum, quod fiet vel acquirendo præcepti ignorati notitiam, vel ſaltem latentis mali aliquod dubium, quo dubio poſito, ſi tutiorem ſequatur partem, omnino evadet periculum tranſgrediendi legem ignoratam,

Ep. 120. Hæc autem non gratis dici liquet ex S. Auguſt. dicente: *ſi purè Dominum bonorum omnium largitorem deprecemur, omnia quæ cognitione digna ſunt, aut certè plurima ipſo magis inſpirante quam hominum aliquo commonente perdiſcemus.* Et iterum *admonemur à Deo petere ſapientiam qui dat omnibus affluenter, utique iis, qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.* Quod ſi Deus ſcientiam latentis mali non infundat, ſaltem dubium aliquod imittet, ut illo dubio poſito veritatem homo magis inquirat, vel actionem illam omittat, vel ſaltem alio modo hominem divertet, nam juxta Regium Prophetam *dat metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcus.* Neque hæc gratis dicuntur, quia Scriptura frequenter inſinuat nos habituros ſcientiam, ſi dilexerimus juſtitiam,

Lib. de Natura & Grat. cap. 17.

Pſal. 59.

Supponimus autem illa remota deducta,

ﬆa præcepta, revera eſſe juris naturæ præcepta, quæ enim aliquo modo tantummodò ſunt conformia juri naturæ non ſtatim dicenda ſunt ſimpliciter præcepta juris naturæ.

Supponimus ſecundò nos agere de ignorantia juris, non facti, nam ignorantiam facti etiam in hac materia poſſe dari invincibilem & inculpabilem evidens eſt Sanctorum Patrum doctrina, qui copulam Jacobi cum Lia ante initum cum ea matrimonium ab omni adulterii peccato excuſant, idque quia laborabat invincibili & inculpabili facti ignorantiâ, ſciebat enim bene numquam eſſe licitum congredi ad non ſuam, adeoque non laborabat ignorantia juris, neſciebat tamen illam, ad quam ingrediebatur, eſſe non ſuam. Et talem facti tantùm ignorantiam ordinariè puto intervenire quando dicuntur ignorari illa præcepta quæ remotè & obſcurè deducuntur ex primariis juris principiis, maximè quando inter Doctores diſputatur an hic vel ille actus ſit jure naturæ præceptus vel prohibitus. V. G. an hic vel ille contractus ſit ſimoniacus, uſurarius &c. conſtat enim apud omnes numquam licitum eſſe contractum ſimoniacum aut uſurarium, adeoque illius juris ignorantiâ invincibili non laboratur, verùm aliquandò

invin-

Digitized by Google

invincibiliter ignorari poteſt an hic in individuo contractus ſit ſimoniacus vel uſurarius, cum neſcire poſſint illum perficientes contractum quod in illo pro re ſpirituali, aut ultra ſortem vi mutui aliquid detur, ſed ratione tituli liciti, & ſic in illo caſu tantùm intervenit ignorantia facti, quæ quandoque invincibilis & inculpabilis eſſe poteſt.

Si doctrina noſtra ita explicetur, non video quod dogma hoc talem horrorem incutiat Piis Fidelibus ut ejus proſcriptionem illo titulo expoſtulare poſſint à Summo Eccleſiæ Præſule. Verum videamus quid contra doctrinam noſtram urgeat Adverſarius, & an talia ex illa conſectaria revera ſequantur, quæ inde deducit Accuſator.

51. Et in primis quantùm ad hujus dogmatis originem, illius, more ſuo Accuſator ut illud odioſum reddat. ſtatuit Cornelium Janſenium Iprenſem Epiſcopum authorem; verùm infundatè & falsò.

Primò quia certum eſt Janſenium loco ab Accuſatore citato adſtruere dari invincibilem juris naturæ ignorantiam, quod latè ſtabilire ibidem conatur, cujus fundamenta evertimus in noſtro Tyrocinio loco ſupra citato, quam tamen invincibilem ignorantiam non vult excuſare totaliter à peccato.

Secundò

Digitized by Google

Secundò licet demus illam Janſenii ſententiam in re convenire cum noſtra doctrina, ſolùmque probatione differre, cùm utraque in eo conveniat quod nulla ignorantia juris naturæ excuſet totaliter à peccato; ſecundum nos, quia omnis illa ignorantia eſt vincibilis; ſecundum illum, quia invincibilis etiam non excuſat cum ſit pœna peccati, cujus homo fuit reus ſaltem in Adamo, non ideo adhuc ratione iſtius noſtræ doctrinæ origo in Janſenio ſtatui debet, cum diu ante Janſenium utramque ſententiam docuerint præclariſſimi Theologi, qui Accuſatorem latere non potuerunt, cum ſatis ſint obvii; & inprimis ſæculo præterito illam docuit Heſſelius Theologus Tridentinus, quem Nicolaus Sanderus nominat, *Præclariſſimum non Academiæ, ſed totius orbis lumen.* Cardinalis Bellarminus: *Virum multæ doctrinæ & judicii.* De quo opinatus fuit Franciſcus Punterau Societatis Jesu Theologus quod illum *poſtremorum temporum Patribus ſemper annumerabit Eccleſia.* Illam & docuit Joannes Molanus ejuſdem Academiæ Lovanienſis Doctor famoſiſſimus, idque paucis annis poſt Bullam Pii V. quæ edita fuit anno 1566. ipſe autem edidit illud compendium anno 1583. Eandem docuit Guillelmus Eſtius Academiæ Duacenæ decus,

In Decal cap. 21.
Lib. de Imag. cultu.
Lib. de Script. Eccleſ.
In Compendio Theolog. pract. tract. 5. cap. 6.
In 2. diſt 22. §. 14

cus, vir rebus theologicis & clariſſimis in D. Paulum commentariis aliiſque ſcriptis clariſſimus, qui & citat pro eadem ſententia Gregorium Ariminenſem in ſecundum diſt. 29. quæſt. 5. art. 2. ADRIANUM VI. Pontificem: & ante hos omnes Gratianus decreti compilator diſertè aſſerit, ignorantiam juris naturalis omnibus adultis damnabilem eſſe. Poſt hos omnes Baſſeus V. *ignorantia.*

Cap. Turbatur 1. R. 4.

Quod ſi recenſere velimus Authores qui docuerunt non dari juris naturæ invincibilem ignorantiam, ſed illam ſemper vincibilem eſſe tereremus tempus & chartam, multos citat Vaſquez in 1. 2. diſp. 120. cap. 1. & diſp. 122. inter quos præcipuus eſt S. Bonaventura qui illud docet clariſſimè in Opuſc. de ſpeculo animæ c. 3.

Poſt Janſenium noſtram ſententiam docuerunt Sinnichius in ſuo Saüle Ex-rege, Matthæus van Vianen in Tractatu de hac materia ex profeſsò edito & nuper re-impreſſo poſt Vindicias Decalogicas Sinnichii, Germanus Philalethes Eupiſtinus in Triumpho Thomiſtarum. Sententiam hanc è Societate JESU docuit Eminentiſſimus Cardinalis Toletus tract. 7. de Peccatis Mortalibus cap. 18. ubi ait: *Nulla lex divina injuſta eſt, nec indiget promulgatione quia jam promulgata & recepta eſt, nec etiam poteſt*

Edita Antuerp. an. 1600 *fol.* 614.

Digitized by Google

poteſt derogari: ſola ignorantia eſt quæ excuſat ab obſervatione legis hujus, ſed non naturalis divinæ. Nullus enim peccans contra præceptum decalogi excuſatur à peccato: nam lex naturalis numquam ignoratur invincibiliter ſed craſſè.

52. Præter prædictum de ignorantia dogma, graviter etiam in me reprehendit Accuſator cap. 2. ſect. 1, dog. 3. fol. 18. Quod aſſeram in Tyrocinio Theologiæ Moralis, *quod diu tenuerim & bis in publicis theſibus defenderim nullam ignorantiam invincibilem juris naturæ excuſare à peccato, etiam ſupponendo dari talem ignorantiam invincibilem, & ſubjungam me adhuc valde probabilem judicare illam ſententiam, eamque non contemnendis rationibus me fulcire poſſe.* Verum non video quomodo fundatè ad ſua principia accuſator me reprehendere poſſit eò quod judicem illam ſententiam, quæ aſſerit invincibilem juris naturæ ignorantiam non excuſare totaliter à peccato, adhuc eſſe probabilem; id enim Adverſariis probabile eſt quod aliqui inſignes Doctores ex profeſſo aſſerunt, verum varii inſignes Doctores aſſerunt ignorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare plenè à peccato. Ut autem candidè loquar, fateor, primâ fronte ſententia hæc horrorem incutit Piis Fidelibus & valde durè ſonat, ideoque & ab illa aſſerenda aut docenda abſtineo; ſi

tamen

tamen plenius diſcutiatur & videatur quid per invincibilem ignorantiam Auctores intelligant, maximâ ex parte horror & difficultas dogmatis diſſipabitur & patebit, non niſi de nomine eſſe quæſtionem an illa ignorantia ſit vincibilis, an verò ſimpliciter invincibilis dici debeat; cum enim Scholaſtici, illam ſolerent vocare invincibilem ignorantiam quam homines humanâ diligentiâ, ſine Dei ſupernaturali auxilio, hìc & nunc ſuperare non poſſunt; & Authores illi viderent juris naturæ ignorantiam quandoque tam altè quaſi radicatam & denſam eſſe ut nonniſi auxilio luminis ex alto diſpelli poſſit, illam invincibilem ignorantiam Scholaſticorum more dixerunt, quia autem aliunde ipſis compertum erat, nullam ignorantiam juris naturæ eſſe inculpabilem, & plenè à peccato excuſare, etiam aſſeruerunt ignorantiam invincibilem illius juris non excuſare. Ratio quæ ipſos movebat erat, quod illa quæ Scholaſticis vocatur invincibilis ignorantia, licet quandoque naturæ viribus ſuperari non poſſit, ſemper tamen viribus gratiæ ordinariæ, quando homo operari debet, practicè vinci poſſit, adeoque ad illam vincendam homo obligetur; nullus enim è Scholaſticis dubitare poteſt, quin homo obligetur vincere ignorantiam agendorum,

dorum; ubi operari obligatur, & ſi id non faciat illam ignorantiam apud Deum à peccato non excuſare, ſi ſit in ipſius poteſtate ignorantiam illam ſuperare; atqui id quod cum gratiæ ordinariæ auxilio efficere poteſt homo, ſimpliciter dici debet in ipſius eſſe poteſtate, ut enim inſigniter Angelicus Doctor argumentatur; *ſi ad hoc ut aliquid dicatur eſſe in poteſtate hominis requiratur ut homo illud poſſit abſque auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo ad quæ non poteſt ſine gratia reparante*, v. g. ad amandum Deum ſuper omnia &c. Si ergo ſimpliciter dicamus eſſe in noſtra poteſtate amare Deum ſuper omnia, licet id ſine viribus gratiæ non poſſimus, quia cum illis id poſſumus, cur non dicemus in noſtra ſimiliter poteſtate eſſe vincere juris naturæ ignorantiam quando operandum eſt, licet non niſi gratiæ divinæ auxilio operari poſſit, quia cum illo id effici poteſt? Hoc ſenſu ergo omnes fatentur ignorantiam juris naturæ eſſe vincibilem, etiam illi, qui ſimpliciter dicunt nullam juris naturæ invincibilem ignorantiam à peccato plenè excuſare.

Quis hiſce conſideratis non videat non tantum horrorem eſſe in hoc dogmate, quantum Accuſator ſibi perſuadet, vel ſaltem aliis perſuadere conatur? Quænam in

hoc difficultas quod dicatur, *Ignorantia juris natura qua natura viribus ſuperari non poteſt, viribus tamen ordinaria gratia vinci poteſt non excuſat totaliter operantem ex illa?* Nihil autem aliud in priori dogmate, judicio Accuſatoris tam horrido ut ad deſperationem homines ducat, importatur. Quænam major in illa difficultas quam in hoc, quod dicatur, *Concupiſcentia tam gravis ut viribus naturæ ſuperari non poſſit, viribus tamen gratiæ poteſt, non excuſat totaliter illum qui iſti ſuccumbit?* Non in uno quam in altero difficultas major imaginari poteſt.

Hinc jure meritò Tornacenſium Epiſcopus in Epiſtola, quam hìc citat adverſarius, aſſerit: *Nos quantumvis cæcos, & noſtrorum officiorum rudes & ignaros, nequaquam à peccato liberos fore, ſi ea admittamus, quæ legi æternæ adverſantur*, à qua lege æterna lex naturalis non differt: nec video quid in eo reprehendat Accuſator, qui hic multa colligit & deducit planè falſa & aliena à mente Authorum, quos oppugnat. Nos, quantumvis ſententiam ſupradictam in illis terminis non doceamus, convenimus tamen cum illius ſententiæ Authoribus in eo, quod nulla juris naturalis ignorantia excuſet totaliter homines operantes ex illa, eò quod omnis juris naturalis ignorantia ſit ſecundum nos vincibilis practicè, quando

Digitized by Google

quando homo operari debet, uti ad ſuperius dogma oſtendi.

53. Ut autem clarius quoad invincibilem hanc juris naturæ ignorantiam mentem noſtram exprimamus, aſſerimus; quod, ſi daretur aliqua ignorantia etiam juris naturæ, quæ iſtis mediis quæ ſupra §. 49. allegavimus vinci non poſſet, illa ſimpliciter Baptizatum à peccato formali excuſaret; licet illa ignorantia ſupponatur eſſe pœna peccati originalis, cujus ſumus rei. Ratio eſt, quia in caſu poſito ſicuti non foret in poteſtate hominis ſuperare illam ignorantiam, ita nec eſſet in poteſtate hominis vitare peccatum ignoratum, *nullus enim peccat in eo quod vitare non poteſt.* Deinde peccata illius ignorantiæ, ſi non ſint voluntaria voluntate propriâ, non poſſunt in Baptiſatis eſſe voluntaria in voluntate Adami, cum iſtius voluntarii ratio ſucciſa ſit in baptiſmate, quo dimiſſum eſt peccatum illud, quod ſupponitur cauſa ignorantiæ iſtius, & conſequenter etiam peccati; ubi autem cauſa non eſt amplius voluntaria, ibi nec effectus in illa amplius voluntarius eſſe poteſt. Unde neceſſariò negligentia & culpa perſonalis in Baptizato neceſſe eſt interveniat ad hoc ut ignorantiæ peccata illi imputari poſſint. Hinc & Matthæus van Vianen in lib. ſupra

citato, poſtquam cap. 2. ex Scriptura probaſſet ignorantiam juris naturalis non omnino excuſare à peccato, cap. 3. & 4. oſtendit neminem ſine negligentia culpabili fruſtrari ſcientiâ legis naturalis, in quantum neceſſaria eſt ad ſalutem.

54. Ex dictis patet peccata illa ignorantiâ invincibili juris naturæ commiſſa etiam propriâ voluntate eſſe voluntaria, & non tantum voluntate Adami; adeoque & inde falsò deduci illa conſectaria, quæ inde infert Accuſator.

55. Quod autem Accuſator aſſerat, poſitâ hujus doctrinæ veritate, *neminem quantumvis doctum, aut ſanctum, ſibi perſuadere poſſe ſe depuliſſe ignorantiam omnem juris naturæ tam varii, tamque implexi, in tanta varietate materiarum juſtitiæ, charitatis, religionis, caſtitatis, aliarumque virtutum; adeoque neminem ſibi poſſe perſuadere nullum ſupereſſe iſtius generis peccatum ſibi expiandum.* Ad illud dicimus certum eſſe neminem illud ſcire certò poſſe: unde Regius Propheta continuò orabat Deum: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*, Hinc & Propheta Job dicebat, *verebar omnia opera mea ſciens quia non parces delinquenti.* Hinc & Apoſtolus dicebat: *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui enim judicat me Dominus eſt.* verebantur enim illi ſancti, ne

&

& Dominus, quem nullum latet ſecretum, aliquod peccatum in ſuis operibus inveniat, quod ipſos per ignorantiam latet: & hinc cum timore & tremore ſalutem noſtram operandam eſſe monet Scriptura. Interim ut Pios Fideles, quantum poſſibile eſt, hac ex parte ſecuros reddamus, ſuppeditamus ipſis illam regulam quam cap. 7. ſui tractatus: allegat Matthæus van Vianen, quâ ſervatâ citò pervenitur ad perfectam legis notitiam: *Optima*, inquit, *& compendioſiſſima* regula ad quærendam inveniendamque viam veritatis, & ſemitam mandatorum Dei hæc eſt, ut homo, quidquid eſſe juſtum certò non novit, diligentiſſimè adimplere ſtudeat: & quidquid eſſe injuſtum evidenter jam videt, omni ſollicitudine caveat. Si enim in præceptis, quæ jam novit, fideliter ambulaverit, non dubitet, quin divina miſericordia, quod adhuc defuerit intelligentiæ legis, cito ſuperadjiciet: ſicuti Sanctus Apoſtolus Paulus Philippenſibus, dummodo in iis ad quæ pervenerunt idem ſapiant, & in eadem regula permaneant, fidenter promittit: *Si quid aliter ſapitis, & hoc Deus vobis revelabit.* Phil. 3. Et talibus promiſſionibus abundant eloquia Scripturarum. *Fili*, ait Eccleſiaſticus, *concupiſcens ſapientiam conſerva juſtitiam: & Dominus præbebit illam tibi.* Eccli. 1.

Ibid. 2. Item, *qui timent Dominum inquirent quæ beneplicita ſunt ei, & qui diligunt eum replebuntur*
Ioan. 7. *lege ipſius.* Et Dominus noſter in Evangelio: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, co-*
1. Ioan. *gnoſcet de doctrina an ex Deo ſit.* Et dilectiſſi-
2. mus Domini Diſcipulus in prima ſua Epiſtola: *Vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis: & non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Sed qui recedere adhuc non volunt à prævaricatione mandatorum Dei, quæ non ignorant; quid mirum, ſi aliorum, quæ adhuc ignorant, ſcientiam à Domino minimè accipiant, cùm ejuſmodi inter deriſores, & fictè quærentes ſapientiam meritò recenſendi ſint: de talibus ſcriptum eſt:
Prov. 14 *Quærit deriſor ſapientiam, & non invenit:* &
Sap. 1. *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum.*

56. Quantum ad conſectaria, quæ ex doctrina noſtra hìc deducit Accuſator, videamus an verè inde deducantur: primò ergo ex eo, quod doceam omnem juris naturæ ignorantiam eſſe vincibilem, deducit hoc conſectarium primum.

Ad peccatum perſonale non requiritur ut ſit voluntarium voluntate propriâ, ſed ſufficit ut ſit voluntarium voluntate Adami in qua omnes peccavimus.

Verum

Verùm, dico nullomodo conſectarium illud ſequi ex noſtra doctrina; cùm enim omnis juris naturæ ignorantia ſit vincibilis ſenſu ſupra aſſignato, ſimpliciter ab homine vinci poteſt; adeoque, ſi non vincat, propriæ ipſius negligentiæ & culpæ imputandum eſt quod non vincat, adeoque peccatum ad minus voluntarium ipſi eſt in ſua cauſa ſeu negligentiâ adhibendi media quæ poteſt & tenetur adhibere & non adhibet. Unde ſicut ſecundùm Accuſatorem & ſanam Theologiam peccatum quod fit ex ignorantia ipſi vincibili revera voluntarium ipſi eſt voluntate propriâ, & non tantùm voluntate Adami, ita & nos conſequenter philoſophamur.

57. Conatur hìc quidem Accuſator ex mea doctrina eruere ignorantiam juris naturæ vincibilem & tamen inculpabilem (etiam quando homini operandum eſt) attamen incaſſum laborat: in caſu enim quem adfert, in quo quis, per ſolam orationem impetrando gratiam, ignorantiam vincere poſſet, & tamen invincibiliter ignorat ſe à Deo debere per orationem petere gratiam, & ſic defectu orationis ſuccumbit ignorantiæ, etiam in illo peccatum commiſſum propriâ voluntate voluntarium eſt: non enim illa duo, quæ hìc Accuſator confundit, eadem ſunt, *invin-*

cibiliter ignorare ſe obligari petere illuminationem à Deo: & ſine ſua culpa ignorare ſe obligari à Deo petere illuminationem. An non enim tam bene quis propriâ ſuâ voluntate ſe culpabiliter conjicere poteſt in talem invincibilis ignorantiæ ſtatum, quam voluntate Adami in qua peccavimus omnes? Secundò, an non in caſu à me allegato in Tyrocino, quem hìc addit Accuſator, quis propriâ voluntate tentationi ſuccumbit, & peccatum fornicationis ipſi voluntarium eſt propriâ voluntate, quando quis ſciens fornicatio-nem eſſe intrinſecè malam, graviter tentatur ad fornicationem & non habens gratiam proximè, ſufficientem ad illam tentationem vindicendam, invinbiliter ignorat ſe illam gratiam à Deo per orationem petere debere; ſicque, tentationi ſuccumbens, fornicatur? Non eò uſque puto veniet Accuſator ut hoc diffiteri audebit: cur ergo non pariformiter in caſu ignorantiæ, ac in caſu tentationis, procedit?

58. Suppoſuimus huc uſque caſum fieri poſſe in quo quis ſolummodo per orationis medium ignorantiam juris naturæ vincere poſſit, illumque poſſe invincibiliter ignorare ſe Deum pro illuminationis gratia orare debere; ſuppoſitum tamen illud pro neutra parte certum eſt; & quidem S. Auguſtinus pro ſecunda parte

ſuppoſitum

ſuppoſitum negaret: dicit enim, *enulli homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat.* Verùm, non eſt quod multùm de ſuppoſiti veritate diſputemus, cum, & ejus veritate ſuppoſitâ adhuc veritas doctrinæ noſtræ ſubſiſtat. *Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 19.*

59. Vidit tandem Accuſator quod à ſe confictæ vincibili, & tamen inculpabili juris naturæ ignorantiæ non multùm confidere poſſit, neque magnum ex illa parte doctrinæ noſtræ præjudicium inferre, cùm facilè à nobis rejici & refutari poſſit, unde & candidè fatetur quod conſectarium hocce non ſequatur ex noſtra doctrina, ſi illam vincibilem & ſimul inculpabilem ignorantiam negemus dari; verùm ut reliqua ſua conſectaria quæ ex doctrina noſtra deducit, & de quibus mox agemus, ſalvet, aliud effugium quærit & dicit: *ponamus verò quod Patroni Dogmatis mallent omnem juris naturæ vincibilem ignorantiam eſſe quoque culpabilem perſonali culpâ: animadvertamus vincibilem dici ignorantiam, non quod eo momento temporis, quo peccatur, vinci poſſit: ſed quod vinci ſaltem potuerit olim, vel orando Deum impenſius, vel aliis modis.* Verùm in hoc non candidè procedit, neque id hauſit ex Ty-

 rocinio,

rocinio meo, quod in hoc puncto præcipuè oppugnandum ſibi propoſuit: ubinam unquam aſſerui quod vincibilem dicam omnem juris naturæ ignorantiam, *non quod eo momento temporis quo peccatur vinci poſſit; ſed quod vinci ſaltem potuerit olim, vel orando Deum impenſius vel aliis modis?* Dixi, quod ſi homo non deſit ſuæ obligationi, & non negligat adhibere media à Deo ordinata ad vincendam juris naturæ ignorantiam, eo tempore quo operari debet vincere poterit practicè juris ignorantiam; adeoque non aſſero quod vincere olim potuerit; ſed, ſi nondum vicerit, tunc ſuperare poſſit.

60. Sed, ne difficultatem videar evitare, fortè dicet quis, quid ſi antea non adhibuerit illa media per quæ vincere potuerit ignorantiam juris, & jam operandum ſit, tunc ſaltem ipſi erit invincibilis ignorantia juris, tuncque ad ſummum poterit dici vincibilis illo ſenſu quod olim vincere potuerit, non quod eo momento temporis quo peccat vinci poſſit.

Reſp. præſumendum de divina bonitate, quæ non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, quod ſi & pro illo tempore quo operandum eſt doleat de ſua negligentia, ſeque per orationem ad Deum pro gratia convertat, quod efficiet

efficiet ne ignorantiæ ſuccumbat. Quod ſi id nec tunc quidem faciat, ſed eum divina juſtitia in altiſſimis ignorantiæ relinquit tenebris, & ulterius juſto ſuo judicio pluat pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates, nullo modo, ſuccumbendo ignorantiæ & prævaricando naturæ legem, á peccato excuſare poteſt, cùm ſuæ negligentiæ aliiſque malis cupiditatibus imputari debeat, ſe tunc omni divino lumine privari; & licet tunc quodammodo neceſſariò peccet, tamen teſte S. Bern.: *Neceſſitas cum voluntaria ſit excuſare non valet voluntatem.* Et teſte S. Anſelmo: *Impotentia quæ deſcendit ex culpa, non excuſat á culpa impotentem culpâ manente.* Et Hugone de S. Victore: *in voluntariis non poteſt excuſare illa neceſſitas quam operata eſt prior voluntas.* Alias enim excæcatio & obduratio in quam homo ſeſe ſuis peccatis projicit, non pœna, ſed privilegium foret, cùm homines redderet quaſi impeccabiles.

Epiſt. 81. in Cant.

Lib. de Concord. grat. & cap. 67.

Lib. de Sac. p. 7. cap. 23.

Difficultas ſimilis ab Accuſatore ejuſque ſociis ſolvenda eſt, nempe in caſu in quo quis graviter tentatur ad fornicationem, & non habet gratiam proximè ſufficientem ad tentationem vincendam, ac negligit ad Deum per orationem pro gratia proximè ſufficiente acquirenda recurrere, quâ conſequenter deſtitutus eſt quando

tentatur,

tentatur, an tunc ſuâ negligentiâ efficiet illum, ſuccumbendo tentationi, non peccare? an tunc tentatio illi ideo dici debet invincibilis & inculpabilis? an ideo peccatum tentatione commiſſum debet dici non voluntarium voluntate propriâ?

61. Secundum conſectarium quod deducit ex doctrina noſtra Accuſator eſt: *is qui agendo contra legem naturæ peccavit, ignorans legem inculpabiliter, juſtificari non poteſt manente eâ igorantiâ: imo ſacrilegia accumulat utens interea Sacramentis Eccleſiæ.* Verùm non bene ſic percipio Accuſatoris mentem, & ignoro an illud verbum *inculpabiliter* afficiat illa verba, *ignorans legem*: ſic, ut ſenſus ſit, *is qui agendo contra jus naturæ peccavit, ignorans inculpabiliter legem juſtificari non poteſt* &c. An verò afficiat verba *juſtificari non poteſt*, ſic ut ſenſus ſit, *juſtificari inculpabiliter non poteſt.* Si intendat Accuſator primum ſenſum, iterum falſum ſupponit, à nobis admitti ignorantiam legis naturæ vincibilem & tamen inculpabilem. Si intendat ſecundum ſenſum, etiam falſum planè tunc eſt illud è doctrina noſtra verè deduci poſſe, nam inprimis revera ipſius culpâ eſt quod non poſſit juſtificari, cùm ipſius culpa ſit quod non vicerit illam ignorantiam, & de facto adhuc in illa hæreat cum affectu ad peccatum illâ commiſſum, quæ ſunt impedi-

menta

menta juſtificationis, quæque liberè poſuit & continuat.

62. Imo ſi rem penitius velimus inſpicere, non video cur etiam in noſtra ſententia aliquis, qui, agendo contra legem naturæ, peccavit, ignorans legem, juſtificari non poſſet manente eâ ignorantiâ; quia fieri poteſt quod is, qui contra legem naturæ ex ignorantia peccavit, poſtea non amplius illius peccati recordetur, amittatque omnem ad illud peccatum affectum, imo poſitivam acquirat ab illo peccato averſionem v. g. à pollutione in juventute commiſſa, ſicque bonâ fide poſtea alia ſua peccata, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet, cum generali & univerſali dolore ac propoſito clavibus ſubjiciat: non enim illa perſeverans ignorantia peccatum eſt quando quis operari non debet, nam ſcientia juris naturæ ſæpè tantummodo præcepta eſt propter operationem, adeoque quando quis operari non debet ex illo capite ipſi ſcientia illa non eſt neceſſaria; adeoque, ſi illâ careat, ex illo capite ejus ignorantia non eſt peccatum, quamvis tunc, non tam ignorantia, quam ſimplex neſcientia vocari deberet, quâ etiam Sanctiſſimi & Doctiſſimi laborarunt abſque peccati culpa; peccatum autem ignorantiâ com-

miſſum

miſſum jam in animo diſplicet & ad illud ſe ille dolor ex univerſali motivo, v. g. Dei offenſi conceptus, etiam extendit.

Reſolutio hæc in noſtra doctrina non habet ſpecialem difficultatem, cùm Accuſator ejuſque ſocii admittant facilè accidere poſſe caſum in quo quis, qui ex ignorantia vincibili aliquod peccatum commiſit, manente illâ ignorantiâ juſtificari poteſt, & bona fide utiliter etiam ſuſcipere & Sacramentum Pœnitentiæ & alia Sacramenta, & quod non teneatur poſtea, ubi ignorantiam depoſuit, omnes confeſſiones reiterare quæ factæ ſunt durante ignorantiâ. Fatetur hoc Basseus V. ignorantia ubi num. 9. ſic ait: *Ille excuſatur ab obligatione repetendæ confeſſionis, qui peccatum aliquod ignorantiâ vincibili, aut etiam ſcienter commiſſum prætermiſit in confeſſione invincibiliter aut probabiliter ignorans ſe teneri ad peccatum illud in confeſſione aperiendum. Non enim peccavit reticendo peccatum in confeſſione, invincibiliter aut probabiliter ignorans tale peccatum in confeſſione manifeſtandum eſſe. Idem dicendum de eo qui in prima confeſſione culpabiliter prætermiſit aliquod peccatum ex ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter, ſed in reliquis confeſſionibus prætermiſit bonâ fide, eò quod nullam de tali peccato, aut de tali omiſſione cogitationem habuerit, facto diligenter examine; aut, eò quod in reliquis confeſſionibus prudenti*

ratione

ratione judicaverit illud non fuiſſe peccatum, hic enim non tenetur repetere confeſſiones bonâ fide factas, cùm à peccato excuſetur ratione bonæ fidei, ſeu ignorantiæ invincilis aut probabilis, conſequenter ſatisfaciet repetendo confeſſionem in qua culpabiliter ex ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter peccatum prætermiſit. Ita Vaſquez, Navarrus, Koninck, Bonacina, Diana, & Sylvius. Hæc Baſſeus. Cur ergo & pariformiter nos dicere non poſſemus; quod, licet is qui agendo contra legem naturæ peccavit ignorans legem, & ex illa ignorantia vincibili culpabiliter in confeſſione prætermiſerit illud peccatum, bonâ fide illud peccatum in reliquis confeſſionibus prætermittere poſſit, *eò quod nullam de tali peccato aut de tali omiſſione cogitationem habuerit facto diligenter examine*, & conſequenter, *quod non teneatur repetere confeſſiones bonâ fide factas cùm à peccato excuſetur ratione bonæ fidei*, adeoque ſatisfaciat repetendo confeſſionem in qua culpabiliter peccatum prætermiſit?

Quod ſi durante ignorantiâ duraret actualis affectus ad actum peccati ignorantiâ commiſſum, tunc aliter foret loquendum, cùm enim unum peccatum mortale remitti nequeat ſine altero, etiam alia peccata ipſi remitti non poſſunt quamdiu ille malus affectus, qui eſt mortale peccatum, in voluntate perſeverat.

63. Ut

63. Ut autem ſupradictæ reſolutionis veritas clarius pateſcat, & ſimul pateat reliqua conſectaria, quæ mox ſubjungemus, falsò deduci ab Accuſatore ex noſtra doctrina, bene notandum eſt, quod, ſicuti docet R. D. Neeſen in ſua Theologia Morali de Actibus Humanis Tract. 6. Quæſt. 4. Dub. 4. non omnis ignorantia mortaliter culpabilis reſpectu juris divini ſit etiam mortaliter culpabilis reſpectu juris humani, cùm divina lex fortius liget quam altera, ſic etiam fundatè dici poſſit non omnem ignorantiam mortaliter culpabilem reſpectu juris naturalis eſſe quoque talem reſpectu juris poſitivi divini; quia jus naturæ, cum ſit immutabile & indiſpenſabile, non ſolùm fortius ligat jure poſitivo, ſed etiam ejus ſcientia facilius obtineri poteſt; cùm indelebiliter corde hominis inſculptum ſit, & ultrò ſeſe hominis cognitioni ingerat niſi malis hominum cupiditatibus obfuſcetur, & quodammodo quid idem ſit cùm recta ratione, quâ homo naturaliter præditus eſt. Hinc, cùm ita facilis ſit ejus cognitio, facilè contingere poteſt quod negligentia illud addiſcendi graviter ſit culpabilis, quæ non erit graviter culpabilis reſpectu juris poſitivi divini.

Hinc deduco hoc notandum conſectarium,

rium, *cùm obligatio ſubjiciendi omnia mortalia peccata clavibus tantummodo ſit juris poſitivi divini, ſic facilè contingere poteſt quod ignorantia, quæ eſt graviter culpabilis reſpectu juris naturæ, non ſit graviter culpabilis reſpectu illius juris poſitivi; adeoque quod ignorantia, quæ non excuſat à culpa agentem contra legem naturæ, excuſet ab illo peccato ſubjiciendo clavibus.*

64. Hujus conſectarii veritas clarius patebit ſi conſideremus modum quo nos aſſerimus omnem juris naturæ ignorantiam eſſe vincibilem, non enim aſtruimus eſſe in hominis poteſtate ſic vincere ignorantiam omnem juris naturæ, ut acquirat juris ignorati perfectam notitiam etiam quando operari debet, verùm dicimus eſſe in poteſtate hominis practicè vincere omnem ignorantiam iſtius juris; id eſt, ut ſupra inſinuavimus, ſic vincere ut non ſuccumbat ignorantiæ, ſeu ut non perpetret peccatum jure naturæ ignorato prohibitum: quod fieri poteſt, non ſolùm acquiſitione notitiæ iſtius juris, ſed & acquiſitione dubii & ſcrupuli de malitia actus; quo poſito, ſi vel opus omittat, vel ſequatur tutiorem partem, ut in ejus eſt poteſtate, non ſuccumbet ignorantiæ; adhoc autem ut quis obligetur peccatum ſubjicere clavibus, debet in hominis poteſtate eſſe, poſſe habere notitiam, vel ſaltem dubium legis

trangreſſæ & peccati, quia debet habere conſcientiam peccati, ut loquitur Tridentinum, quia impoſſibile eſt ſubjicere clavibus peccatum cujus notitiam non habet.

Hinc falſa ſunt quæ inferius contra me urget Accuſator, cum dicit: *Non excuſat hac ignorantia agentem contra legem naturæ; ergo non excuſat eadem iſta agentem contra legem divinam.* Et poſtea: non excuſavit tunc quidem ignorantia graviter culpabilis, ergo neque jam *excuſat eadem prorſus* à peccato commiſſo ſubjiciendo clavibus. *At non habet conſcientiam illius peccati. Conſcientiam habet peccati commiſſi qualem habebat peccati committendi: illâ non eſt opus perfectiori, ut peccatum ſit confitendum quam erat hâc opus, ut peccaretur: ſi conſcientia ibi non agnoſcitur, neque hic agnoſcenda.*

Hinc etiam falſa ſunt reliqua conſectaria quæ ibidem ſubjungit Accuſator cum
Fol. 33. ait: *is qui peccavit olim ignorans, irritas facit confeſſiones omnes.*

65. Interim pro majori conſcientiæ pœnitentium & confeſſariorum ſecuritate, ordinariè pœnitentes, qui ex ignorantia juris naturæ ſæpius in peccata lapſi ſunt quæ non fuere confeſſi, monendi & adhortandi ſunt ut inſtituant generalem confeſſionem omnium peccatorum, ſaltem ab illo tempore quo talia ignorantiæ peccata perpetrarunt. 1. Quia eo caſu ſolent, moraliter loquendo

Digitized by Google

loquendo, eo ipſo tempore quo Sacramenta frequentant, erga iſta peccata ignorantiæ retinere affectum. 2. Quia ſaltem raro, in Chriſtianis maximè, contingere ſolet illos omnino invincibiliter ignorare jus naturæ quoad pollutiones, aliaque impudicitiæ peccata, detractationes, furta &c, cum ſemper habeant aliquem ſcrupulum vel dubium de illorum actuum malitia, quo dubio poſito, obligati fuêre inquirere rei veritatem; & , ſi id non fecerint, indubiè à peccato excuſari non poſſunt. Et qui bonæ voluntatis ſunt, & negotia ſuæ ſalutis cordi habent, facilè in illo condeſcendent rationali Confeſſarii voluntati & admonitioni; &, adeptâ conſcientiæ ſecuritate, gratias agent Confeſſario de ſalutari admonitione. In qua generali confeſſione monendi ſunt pœnitentes, ut & accuſent ſe de eo coram Deo ſi fortè ſacrilegè, manente ignorantiâ, ſuſceperint Pœnitentiæ Sacramentum aliaque Sacramenta. Si hoc parum durum pœnitentibus ſit, proponendum, illis quantum bonum ſit ſecuritas conſcientiæ, quæ major erit inſtituta ſic generali confeſſione; quanti momenti ſit æterna ſalus, ob quam omnia potius ſuſtinere deberet homo, quam ejus diſcrimini ſe exponere

66. Quantùm ad ſcopum hujus dogmatis, non eſt facere confeſſionem carnifici-

Digitized by Google

dam & anguſtandam eſſe viam cœli, quam æterna veritas arctam & anguſtam eſſe definivit; ſed, & ſcimus non nimiè eſſe dilatandam; & magis ex hac parte imminet periculum, quam ex altera. *Dat tibi ſecuritatem procurator*, inquit S. Auguſt. *quid tibi prodeſt ſi Pater famlias non acceptet? .... Nihil valet ſecuritas procuratoris, utinam tibi Deus ſecuritatem daret.* Nam teſte FELICE Papa III. *Nihil per noſtram facilitatem tribunalis excelſi judicio derogatur.* Quid ergò prodeſſet Piis Fidelibus tam facilem facere pœnitentiæ Sacramentalis methodum, ſi à Chriſti inſtitutoris ordinatione diſcrepet? Non ita facilem illam reputavit Trident. quando de Pœnitentiæ Sacramento loquens, dicit: *Ad quam vitæ novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus: ut meritò pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à SS. Patribus dictus fuerit*, Ex parte autem hujus noſtræ doctrinæ nulla ſpecialis difficultas Sacramento Pœnitentiæ creatur, ut evidens ſit bene jam dicta perpendenti.

Hæc ſunt Sanctiſſimè Pater quæ in doctrinæ noſtræ defenſionem dicenda ſunt: judicabit tua Sanctitas, cui Pater luminum ſpecialiter aſſiſtit & dirigit, an hæc doctri-

na ; quæ hucuſque ſine offenſionis nota, in Eccleſia , etiam diu ante Janſenium , edocta eſt , reprehendi jure poſſit , proſcribi mereatur , parum Accuſatoris cenſuris deferimus , Tuæ verò Sanctitatis judicio ſine contradictione ſubſcribimus.

CAPUT IV.

67. Reſtat nunc, Sanctiſſime Pater, ut, qui hactenus tamquam Rei accuſati fuimus , poſt purgationem delictorum nobis impoſitorum , Actoris provinciam ſuſcipiamus : ut oſtendamus nos meliori jure poſſe arguere Accuſatores noſtros,eoſdemque evincere tum verbis tum ſcriptis aſſerere , DOCTRINAM NOVAM Antiquis Patribus inauditam (Adeòque & jure merito ipſis nomen *Novorum Doctorum* imponi poſſe) Doctrinam in praxi periculoſam : quam pii fideles deplorant , & proſcribi optant : & , ut verbo abſolvam , *Doctrinam, non quâ reformatur praxis & uſus Sacramenti Pœnitentiæ* , *ſed quâ deformatur* , *& quâ lata via ſternitur ad multorum fidelium ruinam.* Non id latè probare intendo (ad hoc enim integris opus eſſet voluminibus) ſed pauca ex multis adferam, ex quibus facilè colligere eſt, quò eorum Moralis Theo-

Theologia tendat, & quis ſit dogmatum eorum ſcopus.

68. Atque in primis ut pateat ipſos meritò vocari *Novos Doctores*, vel ex his ſolis deduci poteſt: Primò quod tacitè contemnant Sanctorum Patrum judicium quo-ad mores: Secundò quod in materiâ morum Juniorum opiniones præferant veterum ſententiis.

Quod ad primum attinet, non ſine magno animi mœrore pii deplorarunt Theſes Antverpiæ defenſas, Præſide R. P. Philippo de Hornes è Societate Jeſu Sacræ Theologiæ Profeſſore, anno 1675. 9 Julii. In quibus Theſi 30. agens contra illos, qui ex ſolâ Patrum (præſertim S. Auguſtini) Doctrinâ probârant dari præceptum omnia opera referendi in Deum, dicit: *Non igitur terreamur, immò* SUSPECTUM *habeamus, dum aliud nihil quam Sancti Auguſtini auctoritatem clamant.* Proh dolor! Si illi ſuſpecti haberi debeant, indubiè ab illorum methodo, qui totam Theologiam Moralem è Sacris Eloquiis & Sanctis Patribus deducere conantur, recedunt: & conſequenter indubiè declinant Sanctorum Patrum Doctrinam. Si illi ſuſpecti haberi debeant, certo certius ſuſpecta haberi debet Sanctorum Patrum Doctrina quo-ad mores: ſi Doctrina Sanctorum Patrum ſuſpecta haberi

beri debeat ; ergò & ſuſpecta haberi debet Primitivæ EccleſiæDoctrina & praxis,quæ in Sanctorum Patrum libris ad vivum depingitur : & conſequenter Eccleſia tempore Sanctorum Patrum quo-ad judicium de moribus erravit, & iidem Sancti Patres non tam Eccleſiæ auxilio quam detrimento fuêre.

Judicet ſua Sanctitas quo hæc vergant, quantumque damnum Eccleſiæ inferat hic Sanctorum contemptus Patrum. Judicet an talis ficulneæ homines non poſſint *novi Doctoris* titulo condecorari : cum veteres maximâ reverentiâ Sanctorum Patrum de moribus dogmata tamquam cœleſtia oracula ſuſcipiant & revereantur, uti re verâ piorum Doctorum munus eſt. Non dubitamus fore quin horrendum hoc Chriſtianis auribus dogma in ſummo gradu diſpliceat ſuæ Sanctitati, cui Sanctus Auguſtinus & eſt, & fuit in amore & ſummâ admiratione. Colligitur illud poſtremum ex verbis, quibus Tua Sanctitas breviter, ſed egregiè laudavit S. Auguſtinum, ſicque ejus auctoritatem meritis circumvallavit elogiis, ut non plus poſſint contrà ejus doctrinam calumniæ, quam adverſus ſolis jubar nebulæ. Verba illa retuli numero. 11. Ut meum proferam ego quidem judicium, candidè fateor ſuſpectos eſſe de veritate, cui

cui ſuſpectus eſt Auguſtinus : cui ſuſpecti ſunt, qui Auguſtini ſequuntur Doctrinam, ejuſque ſe auctoritate corroborant, illamque magis æſtimant, quam nudam rationem noſtram. Nec mirum, quandoquidem magnum illud Eccleſiæ lumen & ratione clariſſimâ & ſpecialiter Spiritu Sancto illuſtratâ præditum fuerit. Undè & à Sapientiſſimis in Eccleſiâ viris habitus fuit velut *ingeniorum apex*, *ſtuporq; ſæculorum omnium*. De hoc latius egimus in defenſione Tyrocinii noſtri; ubi vindicavimus Sanctorum Patrum Doctrinam.

69. Ex ſupradictis clariſſimè ſequitur quod in materiâ morum opiniones juniorum præferant judicio veterum : cùm ipſis nequaquam ſint ſuſpecti, qui nihil niſi juniorum Scholaſticorum, Leſſii, Eſcobarii, Dianæ, Arriagæ, & cæterorum auctoritatem clamant. Bone Deus! in quæ ſæcula incidimus! Quo res Chriſtiana devenit! Adverſariis ſuſpecti ſunt, qui nil niſi Sanctorum Patrum auctoritatem clamant : & iiſdem adverſariis non ſunt ſuſpecti, qui non niſi recentiorum Caſuiſtarum auctoritatem clamant. Tantum Novitas præponderat Antiquitati. An non inde ſequitur recentiorum inventiones ab ipſis Sanctorum Pâtrum præferri Sententiis? fatetur id non inverecundè Caramuel, quando

 dicit:

dicit : *In materia morum majoris facienda ſunt juniorum opiniones, quam veterum.* Hinc & aſſerit : *Non multum ego temporis impendo, aut perdo in Veterum libris legendis.* Idem & multos alios de ſe confeſſuros credo, ſi fuerint candoris ejuſdem.

Scopus & intentio horum dogmatum indubie non eſt, niſi Novam Theologiam Moralem fidelibus proponere. Quod iterum non minori candore de Theologiâ Morali, prout à modernis traditur caſuiſtis, fatetur Caramuel dicens : *Tota Theologia Moralis, ſi verum fateri volumus,* NOVA *eſt.* Verum indubiè hoc à ſanâ Catholicorum Doctrinâ alienum eſt. Si enim verum foret quod tota Theologia Moralis nova eſſet, pariter verum foret quod non ſit à Chriſto, non ab Apoſtolis, non à Sanctis Patribus tradita, adeòque non Chriſtiana, non vera, non germana, ſed ſpuria & adulterina : adeòque illo titulo non commendanda, ſed condemnanda : non proſequenda, ſed proſcribenda : non alleganda, ſed ableganda. Deinde ſi tota Theologia Moralis ſit nova, clarè ſequitur & eſſe *Novos Doctores*, qui illam tradunt : adeòque vel illo ſolo titulo de veritate ſuſpecti ſunt, ſi non de falſitate convicti. *Neque hoc ſanè novum : ſi quidem mos iſte ſemper in Eccleſiâ viguit, ut quo quiſque * florere*

* Alii legunt : *foret.*

ret religioſior, *eò promptiùs* NOVELLIS ADINVENTIONIBUS *contrairet*: ait *S. Vincent. Lerin. cap.* 9. Nam idem ibidem aſſerit: *Id eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & parvitatis non ſua poſteris tradere*, *ſed à majoribus accepta ſervare.* Hinc & olim Sancti Cypriani de Baptiſmo errorem hoc axiomate Sancta Sedes primò compreſſit: *Nihil novandum*, *niſi quod traditum eſt. Intelligebat etenim nihil aliud rationem pietatis admittere*, *niſi ut omnia*, *quâ fide à Patribus ſuſcepta forent*, *eâdem fide filiis conſignarentur*: *noſq; religionem*, *non quà vellemus ducere*, *ſed potiùs quà illa duceret ſequi oportêre.* Sicque ſemper in Eccleſiâ RETENTA EST ANTIQUITAS EXPLOSA NOVITAS: Semperque propoſita Eccleſiæ Doctoribus hæc aurea regula: QUÆ DIDICISTI ITA DOCE, UT CÙM DICAS NOVÈ NON DICAS NOVA. Idem cap. 27. Hinc Sancti Patres ob unicam hanc cauſam multa rejecerunt dogmata, quòd ab Antiquitate teſtimonium non haberent. Unde Sanctus Hieronymus in Epiſt. Apolog. cont. Orig. quæ eſt 33. lib. 1. *Cur poſt quadringentos annos nos docêre niteris*, *quod ante neſcivimus? Cur profertur in medium*, *quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hanc diem ſine hac doctrina mundus Chriſtianus fuit.*

Digitized by Google

70. Secundò etiam jure merito vocari poſſunt *Novi Doctores*, quia Baſis totius Theologiæ Moralis ipſorum (nempè doctrina de probabilitatibus, prout ab ipſis traditur) eſt nova & Sanctis Patribus incognita doctrina: quod vel ex eo ſolo deducitur, quod nullum alicujus Sancti Patris locum in ejus patrocinium allegare poſſint, qui ipſis manifeſtè patrocinetur aut faveat; quamvis ſæpiùs id varii, qui contra ipſos calamum ſtrinxerunt petierint, & ſæpè ſæpiùs Sanctorum Patrum auctoritas hac in parte illis fuerit objecta. Judicabit autem Tua Sanctitas an vel ſcintillam habeat veriſimilitudinis, præcipuam Baſim totius Moralis Theologiæ ab omnibus antiquis ignoratam Patribus, hiſce noviſſimis temporibus eſſe detectam. Sanè omninò illâ probabilitate (ſi iſta doctrina vera foret, & non infidam adferret ſecuritatem) nihil utilius, nihil commodius, nihil ad complanandam dilatandamve ſalutis ſemitam foret expeditius: magnumque conſcientiæ nactus eſſet ſubſidium, qui eam benè calleret: nec minori privaretur adminiculo, qui eam neſciret. Hinc & nominatus Caramuel fatetur illam Probabilitatem vergere in magnum Eccleſiæ bonum: & congratulandum eſſe Eccleſiæ, quod illa adinventa ſit. *Eccleſia*

Catho-

Digitized by Google

Catholica, inquit, *felicior debet dici, quod exuberet Sanctiſſimis & doctiſſimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones: quia damnarentur plurimi, quos ſententiæ probabilitas ſalvat.* Si autem tantum ſit Eccleſiæ ſeu fidelium bonum illa probabilitas; cur tantum bonum Primitivæ Eccleſiæ invidit Chriſtus? Certè meritò illos deplorat Magnus Guido, dicens: *O Apoſtolorum tempora infeliciſſima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos! Qui, ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras cuſtodiebant vias, & hæc noſtra compendia neſciebant.* Si autem cognitum fuerit Sanctis Patribus, cur id poſteris ſuis inviderunt? Cur tam utilem, tam expeditam, tam neceſſariam praxim nobis nec verbo nec ſcripto inculcaverunt? Quid? Cur toties contrarium ingeminant?

71. Ut autem evidentius conſtet quo uſque luxuriantium ingeniorum licentia indies vergat & accreſcat, libet hic adjungere quaſdam opiniones, quas & de facto adhuc docent non ſine juſtâ piorum & Doctorum fidelium indignatione. Et in primis in hac materiâ pii fideles viderunt Theſes Theologicas Anno 1673. Antverpiæ defenſas ſub R. P. Ignatio Maillot Societatis Jeſu S. Theologiæ Pro-

Digitized by Google

ſeſſore : in quibus Theſi 12. habebantur hæc ſequentia dogmata.

Primùm : *optimè ſuſtineri poteſt opiniones practicas probabiles ſpeculativè circa honeſtatem objecti eſſe quoque probabiles practicè.*

Secundùm : *Potes ſequi opinionem practicam probabilem circa honeſtatem objecti, relictâ quoque probabiliore & tutiore, quamvis tuâ, etiam in materia juris naturalis : idq; licet exiſtimes probabilius ; vel probabiliter opineris non eſſe licitum ſequi ſententiam minus probabilem, dummodò & probabile ſentias licitum idem eſſe, vel ad aliorum in hoc ſententiam te conformes.*

Tertium : *Vt ſententiam ſequi poſſis, non eſt opus certò aut evidenter, ſed ſufficit probabiliter noſſe eſſe probabilem.*

Quartùm, quod Theſi octavâ habebatur : *Iudicium probabile, quod actio hæc non ſit mala, quamvis conjunctum cum formidine partis oppoſitæ, ſufficit ad non peccandum, nec opus eſt judicio practicè certo etiam moraliter, vel judicio reflexo, quo quis ſtatuat certò & ſine formidine ſe non peccaturum formaliter ſequendo judicium illud probabile.*

Quò hæc vergunt, Sanctiſſimè Pater ? Indubiè non niſi ad excuſandas excuſationes in peccatis : non niſi ad quælibet crimina pallianda & licita facienda. Quid enim jam non eſt probabiliter probabile ? Præſertim cum (ut habent eædem Theſes

Digitized by Google

Theſi undecimâ) ad probabilitatem ſufficere poſſit etiam contra communem auctoritas unius, qui probus & doctus aptè ſententiam format & munit? Facile enim quilibet de quolibet Caſuiſtâ probabiliter judicare poteſt, ipſum eſſe Virum doctum & probum, & aptè ſententiam ſuam munire.

72. Judicium Tuæ Sanctitatis expoſtulant Pii fideles, & ſcire exoptant, an hujus ſententiæ praxi ſe tutò & ſecurè poſſint confidere. Maximum autem dubitandi fundamentum habent primò ex eo, quod modus ille opinandi alienus omninò ſit ab Evangelicâ ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrinâ: & hactenus ſatis ſuperque compertum ſit, quod ubi fideles inceperunt illum opinandi modum pro rectâ regulâ in praxi ſequi, ingens irrepſerit vitæ Chriſtianæ corruptela, & homines paſsìm proclivi curſu in deterius tendant. Secundò ex eo quod fides doceat, Supremum Judicem Deum non ex Magiſtrorum iſtorum placitis aut commentis, ſed ex præſcriptis Chriſtianæ pietatis regulis ſententiam aliquando laturum: Iſtoſque Conſultores tribunali tunc temporis non adſuturos, qui cauſam agant & Philoſophicis ſuis ratiocinationibus defendant reos, quibus, relictâ ſecuriori viâ, per minus ſecuram,

modo

modo commodam, ſe tutò poſſe incedere perſuaſerunt. Nam ut ait Apoſtolus ad Gal. cap. 6. *Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.* *Et* (ut ait 2. Cor. cap. 5.) *referet propria corporis*, *prout* verè non autem probabiliter, *geſſerit*, *ſive bonum*, *ſive malum.* Tertiò quod Sancti Patres auſi non fuerint ſecuritatem conſcientiæ promittere illis, qui eorumdem ſequuntur ſententiam, quando hæc ab æternæ legis tramite deviat, aut deflectit. Hinc S. Aug. Homil. 11. inter 50. ait: *Dat tibi ſecuritatem procurator; quid tibi prodeſt, ſi paterfamilias non acceptet? ..... Nihil valet ſecuritas procuratoris, utinam tibi Deus ſecuritatem daret!* Terrebat nimirum illos illud Divinæ vocis oraculum: *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Unde & intermiſſa cura ſollicitudoque Sanctos egit Patres in adhortandis fidelibus, ut ſincerum fidelemque vitæ doctorem ac ductorem inquirerent. *Si veſtimentum empturus* (petit S. Chryſoſt. hom. 44. in Matth.) *unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes doctores, & inquirere ubi ſincerè veritas Chriſti venumdatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?* Hæc laudati Chryſoſtomi doctrina ex diametro oppoſita eſt

do-

doctrinæ R. P. Hermanni Buſembai, è Societate Jeſu Theologi qui lib. 1. de Conſcient. tract. 1. cap. 2 n. 4. ait: *Non ſunt damnandi, qui adeunt varios Doctores, donec unum reperiant faventem ſibi: dummodò is prudens, ac pius, & non ſingularis habeatur. Ratio eſt, quia intendunt ſequi opinionem probabilem.*

73. Non dubitant Pii fideles quin talis opinandi modus & effrenis luxuriantium ingeniorum licentia diſpliceat ſommoperè Tuæ Sanctitati. Cùm enim illam Spiritus Sanctus ſemper idem & ſemper immutabilis regat, qui Tuos rexit Prædeceſſores; procul dubio Tua Sanctitas idem de illis formabit judicium, quod formavit Alexander VII. Piæ memoriæ: cui quantùm diſplicuerit ille opinandi modus, luculenter oſtendit, quando varias propoſitiones morales Caſuiſtarum condemnavit & in praxi prohibuit; & ipſo ſuo facto ſufficienter jam citata falſa Adverſariorum fundamenta evertit. Quando enim memoratus Pontifex illas propoſitiones prohibuit tamquam ſcandaloſas, & in praxi periculoſas, & falſas; non illas tales ſuâ ſolâ prohibitione effecit: ſed antecedenter tamquam tales præſuppoſuit. Inter quas cum non paucæ fuerint, quæ non ſolùm vocantur probabiles probabiliter; ſed & certò

tò probabiles ab iis æſtimarentur, utpote à variis viris, quos probos & doctos vocitant, antecedenter aſſertæ: judicare debuit laudatus Pontifex ſententias, quæ colorantur probabilitatis titulo aut probabiles vocantur, poſſe eſſe ſcandaloſas, periculoſas in praxi, ac falſas: adeoque non licêre Chriſtianis vitam ſuam illis conformare: & conſequenter ſententiæ probabilitatem non ſecurum in Conſcientiâ reddere eum, qui illam tamquam in praxi regulam ſequitur.

74. Quantum verò peſſimæ hujus doctrinæ ortum & incrementum deploraverint pii & docti, facile colligitur vel ex illo, quod plurimi Eccleſiæ Antiſtites (quibus particularis cura fuit de ovibus ſibi à Deo commiſſis) pro viribus hujus doctrinæ progreſſui reſtiterint. Illorum judicio plus tribuendum eſt, quam vulgi ſeu communis plebis clamoribus, quæ ordinariè de re judicat, pro ut eſt affecta. Ne autem gratis videar allegare Antiſtitum Auctoritatem, ſicuti Franciſcus Simonis communis plebis commiſſionem & expoſtulationem, addam hic verba quorumdam. Et in primis Illuſtriſſimus Dominus Jacobus Boonen Metropolitanus Mechlinienſis, idemque Belgii Primas in Epiſtolâ ad Congregationem Cardinalium Sacri

Con-

Digitized by Google

Concilii Tridentini Interpretum datâ 1654. ubi inter cætera ait: *Hoc eſt, eminentiſſimi Patres, quod vergente extremâ ſenectâ meâ ad dandum Supremo Iudici totius villicationis rationem, & ſuprà quam dici poteſt animum meum contriſtat, quod non tantum Mundum in maligno eſſe poſitum, ſed quotidie videam in pejus & pejus refrigeſcente Charitate declinare. Hujus* MISERANDÆ DECLINATIONIS CAUSA (*ut partim experientiâ propriâ obſervavi, partim ex judicio & relatu virorum, qui mihi ab integritate morum, zelo animarum, doctrinâ & rerum uſu probati ſunt, ſæpiùs cognovi*) *prima & potiſſima eſt hodierna multorum Confeſſariorum indulgentia, quâ nimis laxant habenas peccatoribus, fidentes quibuſdam noviter inventis opinionibus quorumdam Theologorum,* QUORUM STUDIUM NON TENDIT AD SECTANDAM EVANGELICAM VERITATEM ET TRADITAM NOBIS A SS. PATRIBUS VITÆ NORMAM, *ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, & eorum turpitudinem* PALLIO PROBABILITATIS *obvelandam. De quibus Propheta Ezechiël:* VÆ QUI CONSUUNT PULVILLOS SUB OMNI CUBITO MANUS ET FACIUNT CERVICALIA SUB CAPITE UNIVERSÆ ÆTATIS,

Digitized by Google

TIS, AD CAPIENDAS ANIMAS.

In ejuſmodi pernitioſis exceſſibus eo-uſque proceſſum eſt, ut ſi quis omnia inſolentia paradoxa ex quorumdam libris & praxi excerpere velit, quibus hodie Eccleſiæ præcepta de obſervandis jejuniis, feſtis, lectione horarum Canonicarum eluduntur; Simoniæ, privatæ vindicta, mendacia, perjuria palliantur; obligatio vitandi occaſiones peccatorum extenuatur, Sacramentorum ualor & effectus evidenti periculo nullitatis exponuntur, non Epiſtola una, ſed liber integer conſcribendus foret. Cum autem laxæ regulæ, quæ depravatis hominum affectibus allubeſcunt, facilè eorum judicio probentur, viſi ſibi ſunt hac ſucceſſu earum Auctores utilem Eccleſiæ operam præſtitiſſe, & auſi petulanter gloriari ſe PROBABILITATUM ROTIS *quotidie viam cæli* AMPLIARE; *hoc eſt ſe terminos arctæ viæ, quæ ducit ad vitam, ſemel à primâ & inflexibili veritate fixos, denuo propriis ſuis adinventionibus refigere.*

Dum adverſus ADULTERINAM HANC THEOLOGIAM SOLIDIORIS DOCTRINÆ, CHRISTIANÆQUE DISCIPLINÆ CULTORUM QUERELAS *audivi, & non ceſſant hæretici nobis vicini improperare Eccleſiæ noſtræ Catholicæ, taliâ à quibuſdam ejus Doctoribus circa mores tradi, qualia nec* INTER GENTES

TES

TES *audiuntur : laxiores & periculoſiores articulos . . . colligi curavi.* Et cætera.

In hunc finem varias laxas propoſitiones cenſurandas miſit Facultati Theologicæ Lovanienſi, quas cenſuratas in ſuâ Diœceſi proſcripſit ; & libros Caramuelis inter Probabiliſtas facilè Principis prohibuit.

Hujus Archiepiſcopi zelum ſecutus eſt Illuſtriſſimus D. Antonius Trieſt Epiſcopus Gandavenſis in epiſtolâ ad Sacram Facultatem Theologiæ Lovanienſem. In quâ inter cætera ait : *Intereà experimur* SUMMO ANIMI NOSTRI ET PROBORUM OMNIUM DOLORE, NIMIAM *illam quorumdam* RECENTIORUM LICENTIAM *in excogitandis* VANIS ET INUTILIBUS QUÆSTIONIBUS, *quæ proficiunt potiùs ad impietatem, & ſerpunt ut Cancer* ; STABILIENDISQUE NOVIS OPINIONIBUS ET COMMENTIS, *continuò augeri & invaleſcere* ; PROBABILITATES, *quibus ſolis innituntur, magis magiſque recipi & confirmari ; Eccleſiaſticam Diſciplinam paulatim peſſumdari ; Dogmata Evangelica negligi ; mores perverti ; virtutes ſperni ; vitia ſpecioſis prætextibus obvolvi, & à corruptâ naturâ paſſim magnis amplexibus arripi* ; AC SENSIM OMNEM SOLI-

DÆ ET SINCERÆ PIETATIS NORMAM A FIDELIUM CORDIBUS EXULARE: *quibus enim modis & auctoribus quavis ferme jam ſunt probabilia, iiſdem fiunt & licita; mendacia, fraudes, perjuria, calumniæ, homicidia, uſuræ, furta, Simoniæ, & ſi quid nefandi ipſa quoque natura exhorret, non niſi à rudibus & idiotis modò perpetrari videntur: acutiores verò & ſagaciores illi rerum inſpectores tot circumſtantiis, ſuppoſitionibus, modis, conditionibus involucris, iſta vitia norunt obducere & fucatâ malitiâ in virtutes quodammodo transformare, ut non ſolum hominibus ſed & ipſi-met Deo facilè imponerent, ſi poſſent.* IMMÒ VERÒ PRINCIPIIS IPSORUM INHÆRENDO, LEGES OMNES ET JURA, TAM POSITIVA QUAM NATURALIA, PROBABILITATIBUS TANDEM CEDERE DEBEBUNT.

Hinc etiam varias aſſertiones Doctrinæ Moralis examinandas & cenſurandas tranſmiſit eidem Sacræ Facultati. Quæ Facultas pium & Sanctum præfati Epiſcopi Zelum in Epiſtolâ ad ipſum datâ valdè deprædicat. Atque poſteà ſubjungit: *Deprehendimus quòd* (aſſertiones, quas ad inſtantiam Epiſcopi cenſurârat, & quarum non paucas Adverſarii adhuc paſſim docent) TANTOPERE AB ORTHODOXIS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ PRINCIPIIS

PIIS EXORBITENT, TAMQUE LATAM PORTAM VARII GENERIS VITIIS APERIANT, *ut omnes in eâ unanimiter ſimus ſententiâ, Præſulum Eccleſiæ eſſe illa, tamquam ſalutari Chriſti Doctrinæ diſſentanea, profligare, & à Diœceſibus ſuis, convenientiori (quo id expedire judicaverint) modo eliminare. Recurrendo etiam in iſtum finem ad Sanctam Sedem, eique ſupplicando ut & ipſa manum ſalutarem huic tam pernitioſo utrique reipublicæ malo adhibere dignetur. Neque enim dubitare de eâ poſſumus, quin viſâ enormitate, poteſtate ſibi à Domino in ædificationem conceſſâ uſura ſit, & ne illud peſtilenti ſuo afflatu latiùs in Eccleſiâ pretioſo Chriſti Sanguine redemptâ proſerpat, efficaciter præpeditura.*

Eodem ſpiritu hiſce ultimis annis ductus fuit Eminentiſſimus Cardinalis Bona, cujus pro Eccleſiæ gloriâ, & puritate Chriſtianæ doctrinæ fervor toti mundo innotuit. In libro enim de Principiis & Documentis vitæ Chriſtianæ (in quo jacuit fundamenta totius pænè doctrinæ noſtræ, quam in omnibus capitalibus punctis tenuit; etiam in illis, quæ Adverſarii carpunt & cenſurant, uti ex ejus ſcriptis luculenter oſtendemus, ſi opus ſit) part. 2. §. 46. ait: *Servus, qui diligit Dominum ſuüm, ejus præceptis libentiſſimè obtemperat, & quô graviùs eſt ac difficiliùs quod jubetur, eo*

 liben-

libentiùs illud exequitur, etiamſi duriſſimi labores ſuſtinendi ſint, quia nimirum nihil grave, nihil durum Amanti videtur. At ſervus nequam, qui Dominum non amat ſed timet, ipſius mandata parvi-pendit, variiſq; coloribus & integumentis à præſtandis Domino obſequiis ſe ſubſtrahere ſatagit, & ejus juſſiones eludere. Sic vero Dei Amore carêre convincitur, qui humanis ratiocinationibus à legis obligatione eximere ſe ſtudet, laxiores quærens opiniones, & magiſtros prurientes auribus, qui, ut noxiæ libertati faveant, mandata Dei & Eccleſiæ tot limitationibus, & pernitioſis interpretationibus convellunt, ut VIX REMANEAT PRÆCEPTO LOCUS. *Vivunt itaq; homines non ſicut oportet, ſed ſicut volunt; quia tot jam ſunt de humanis actibus opiniones, ut* FERE LICEAT QUIDQUID LUBET. *Ante horrendum tribunal Chriſti non ex placitis hominum, ſed ex lege Dei, & ex veritate judicabimur. Ibi nulla opinio erit, ſed nuda Veritas. Scio quidem non omnem probabilitatem damnandam eſſe:* SED VEREOR NE QUOD MULTIS PROBABILE VIDETUR, FALSUM OMNINÒ IN EXTREMO IUDICIO INVENIATUR. VEREOR NE NIMIA OPINANDI LIBERTAS MULTOS DUCAT IN PERDITIONEM. *Hæc autem non intelligit, niſi qui Deum diligit ferventi amore, ſemperq; parato ad obediendum ei.*

Iiſdem inhæſit veſtigiis modernus Atrebatenſis Epiſcopus Guido de Seve de Rocheſchouart, quando eum veritatis amor coegit edere decretum, quo proſcripſit anno 1675. varias laxas morales propoſitiones, in quo Decreto aſſerit: *ayant eſté avertis par des Saints & fideles Miniſtres du Seigneur, qu'on repandoit dans noſtre Dioceſe une* MORALE PEU CHRESTIENNE, *qui ouvrant la porte aux pechez & détruiſant par des tres-pernicieuſes maximes la Morale de Ieſus-Chriſt, rendoit inutile la Penitence, & ôtoit ainſi aux Pecheurs le remede, qui leur reſte, pour ſe relever aprés leurs cheutes, & l'unique table de leur naufrage: Nous nous ſommes crû obligez de parler pour defendre, & pour faire connoître à nos peuples la veritabe doctrine de l'Egliſe. &c.*

Cujus vigilantiſſimi Epiſcopi Cenſuras ac Epiſtolas duas Paſtorales nuper viginti octo Eccleſiæ Antiſtites approbârunt, & deſuper publicè toti mundo ſuam mentem declarârunt, earumque æquitatem demonſtrârunt.

Idem de adverſariorum doctrina judicavit ante hos omnes Cardinalis Bellarminus ſcribens ad nepotem ſuum Themenſem Epiſcopum, his verbis: *Non debemus reſpicere quid multi hoc tempore dicant, & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidùm apparere, debet*

omninò tutiorem partem ſequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propoſitâ, ad minus tutam partem declinare: agitur enim de ſumma rei cum de ſalute æterna tractatur, & facillimum eſt conſcientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo conſcientiâ non remordente ad eum locum deſcendere ubi vermis non moritur, & ignis non exſtinguitur.

Ad hunc Scopum prætereà collimant Illuſtriſſimi Tornacenſis & Caſtorienſis in Belgio Epiſcopi. Omitto, ne longior ſim, cenſuras Sacræ Facultatis Pariſienſis, Acta Parochorum Rothomagenſium & Pariſienſium, Decreta plurimorum Galliæ Antiſtitum ac Synodorum, qui pro viribus Doctrinis Adverſariorum reſtiterunt.

Adde quod ad laxas has ſententias ingemuerit tota Eccleſia in ſuo Capite Alexandro VII. Cujus lugubres voces exprimuntur in Decreto, quo proſcripſit varias laxas Propoſitiones, quod ſic incipit: *Sanctiſſimus Dominus noſter audivit non ſine* MAGNO ANIMI SUI MŒRORE *complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas, &* ANIMARUM PERNICIEM INFERENTES, *partim antiquatas iterùm ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam* LUXURIANTIUM INGENIORUM *licentiam indies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit*

ALIE-

ALIENUS OMNINÒ AB EVANGELICA SIMPLICITATE, SANCTORUMQUE PATRUM DOCTRINA, *& quem ſi pro recta Regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.*

Ecce, Sanctiſſime Pater non imaginariæ factionis, ſed fidelium in bonum conſpirantium querelas, non infundatas & fictas Plebis expoſtulationes, ſed veriſſimas juſtiſſimaſque Principum Eccleſiæ, immò & Eccleſiæ Capitis Prædeceſſoris veſtri de Adverſariorum doctrinâ. Speramus fore ut hiſce benignas aures præbeat Tua Sanctitas, & cognitâ enormitate doctrinæ Adverſariorum contra pernitioſum illud Eccleſiæ malum poteſtate Tibi à Domino in ædificationem conceſsâ utatur, & efficiat ne peſtilens illius mali efflatus latiùs in perniciem fidelium proſerpat. Nam ut cum S. Bernardo Ep. 191. ad Innocentium loquar: *Tuum eſt, Beatiſſime Pater, providêre ne in diebus Tuis aliquâ hæreticæ pravitatis* (aut corruptelæ Morum) *maculâ Decor Eccleſiæ maculetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti Amici Sponſi: Tuum eſt tandem uni viro Virginem caſtam exhibêre Chriſto.*

Quare firmiter nobis perſuaſum habemus, quod noſter qualiſcumque labor in evertendis falſis illorum morum principiis,

& coërcendâ ſummâ illâ luxuriantium ingeniorum licentiâ Tuæ Sanctitati placiturus ſit. Cùm enim in eo exequamur votum & deſiderium Alexandri VII. qui omnes (ſpecialiter Celeberrimi Ordinis Sancti Dominici Religioſos) excitavit ut ex ſeveriori doctrinâ, præſertim S. Thomæ opus pararent contra laxas quorumdam doctrinas; quod & cum laude præſtitêre ex eodem Ordine Baronius, Mercorus, Gonet & alii, non ambigimus quin idem Tuæ Sanctitati ſuperſit animus.

Ut autem illorum principiorum falſitas fiat manifeſtior, libet parum ad particularia deſcendere, & vidêre quam periculoſas (ne dicam Piis Fidelibus horribiles & abominandas) concluſiones conſequentiaſque indè Adverſarii deducant. Atque in primis quia quo-ad peccata ignorantiæ nos ſuprà ſuo ſtylo pupugit Accuſator, videamus an non meliori jure Pii Fideles adverſam partem ignorantiæ quo-ad peccata ignorantiæ accuſare poſſint; & an talium Doctorum laxitates in hac quæſtione proſcribi meritò non exoptent.

75. Primò ergò R. P. Philippus de Hornes in Theſibus anno 1675. Antverpiæ defenſis Theſi primâ ſic habet: *Cùm homines inveniantur in ſylvis enutriti adeò hebetes & ſtupidi ut res minùs ſubtiles exemplis etiam propoſitis*

poſitis non capiant, facilè conficies poſſe non paucos diu invincibiliter non aſſequi notitiam Dei perfectam, immò ſpectatâ tantùm naturâ humanâ etiam imperfectam. Ecce, judicio iſtius R. Patris ignorantiam Dei invincibilem, contra unanimem Sanctorum Patrum doctrinam; qui nunquam ignorantiam illam dixerunt invincibilem. Nam teſte S. Auguſtino tract. 106. in Joan. *Hæc eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò ac penitùs abſcondi poſſit.* Cui potius credendum Sancto Auguſtino, an R. Patri de Hornes? Si poſſint invincibiliter & inculpabiliter ignorare Deum; ergò & inculpabiliter non amare Deum; cum tamen idem S. Pater dicat lib. 10. confeſſ. cap. 6. *Cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſables.* Et S. Bernardus lib. de dilig. Deo: *Inexcuſabilis eſt omnis, etiam infidelis, ſi non diligit Deum.* Undè & præſatus mellifluus Doctor rectè concludit: *Ignorantia Dei damnabilis eſt, & ſufficit ad perditionem.* Serm. 35. in Cantica. At quomodò, Sancte Bernarde, ſi juxtà novos hos Doctores ignorantia Dei poſſit eſſe invincibilis & inculpabilis?

76. Secundò idem R. Pater de Hornes Theſi 18. aſſerit tamquam ſanæ doctrinæ

dogma hanc propoſitionem : *Vt actio quapiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine qui noſcit & proſpicit, quid boni malive in eâ ſit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona eſt neque mala.* Quam propoſitionem ſæpiùs Pii & Docti Fideles proſcripſerunt: Nempè S. Facultas Theologica Pariſienſis anno 1641. S. Facultas Theologica Lovanienſis anno 1658. Et eodem anno duo Vic. Gen. Ep. Pariſienſis & octo Doctores Pariſienſes eandem damnavêre ſententiam tamquam erroneam, ſcandaloſam, contrariam Scripturæ & Patribus; adeoque & Sanæ Theologiæ. Si enim illa Propoſitio vera foret, nulla peccata Ignorantiæ umquam darentur, quod tamen in ſanâ Theologiâ paradoxum eſt: adeoque & fruſtra cum Prophetâ Regio Pii Fideles orarent: *Ignorantias meas ne memineris, Domine.* Quô hæc vergant, facilè judicaverit Tua Sanctitas. Relaxantur habenę refrœnandę licentiæ non niſi ad innumera immaniſſima hominum peccata excuſanda cum pernicie animarum; ut notat S. Facultas Lovanienſis in cenſurâ iſtius Propoſitionis.

Exorbitantior hac in parte fuit R. P. Ignatius Maillot ex eâdem Societate Jeſu S. Theologiæ Profeſſor in Theſibus ſupra citatis, Theſi 8. Ubi habet hæc verba: *Quiſ-*

Digitized by Google

Quiſquis ſine ullâ formidine oppoſiti, aut advertentiâ ad ullam malitiam judicat operationem non eſſe malam, non peccat operationem illam ponendo, ſive id judicet evidenter, ſive tantùm probabiliter, ſive verò ſive falsò, ſolidâ vel non ſolidâ ratione nixus. Quis Pius Fidelis, & non exhorreſcat, ubi hæc audit? Origo hujus dogmatis eſt non incogniti nominis Dogmatiſta Petrus Abailardus, cujus hanc Propoſitionem, *Non peccaverunt, qui Chriſtum ignoranter crucifixerunt*, tamquam hæreticam proſcripſit Innocentius II. Omninò enim certum eſt illos nullam actualem reflexionem vel dubium de malitiâ ſui peccati habuiſſe. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ut ait Apoſt. 1. ad cor. 2. Undè Chriſtus in Cruce Patrem pro illis rogans, dicebat: *Pater, dimitte illis, quià neſciunt quid faciunt. Luc.* 23.

Quid quoad hanc doctrinam judicet Franciſcus Simonis, non obſcurè innuit fol. 27. ubi clarè ſupponit peccati malitiam non eſſe voluntariam, quando non cognoſcitur, vel cognita umquam fuit malitia. Verum quid ſi potuerit & debuerit is, qui ponit actum malum, malitiam peccati cognoſcere, & negligentiâ ſuâ numquam cognoverit? An & tunc ejus peccati malitia non erit ipſi volnntaria? Quis vel à limine Theologiam ſalutavit & audet hoc

ne-

negare? Tamen, ut ſuppono, numquam actu illam malitiam cognovit. Ergò poteſt peccati malitia eſſe voluntaria, licet numquam cognita fuerit. Atque hoc hactenus ſana Theologia inconcuſſum & commune principium ſuppoſuit.

77. Tertiò memoratus R. P. Philippus de Hornes Theſi vigeſimâ ait: *Sicuti certum eſt ignorantiam invincibilem & inculpabilem excuſare à peccato formali, ita certum videtur de opinione probabili, cum ea ſit error invincibilis ſeu inculpabilis reſpectu habentis.* Itanc ille, qui relictâ ſententiâ probabiliore ac tutiore, etiam in materiâ juris naturæ (quod licitum eſſe parum ante aſſeverat ſæpè nominatus R. Pater de Hornes) invincibiliter ignorat veritatem? Dicimus illum invincibiliter ignorare viam tendendi Bruxellas, qui novit viam certò & tutò eo ducentem; ex eo quòd ingrediatur viam, quæ ipſi etiam apparenter videtur eò ducere, & ſic erret? Omninò ergò in ſanâ Theologiâ dicendum, quod is, qui ſequitur opinionem minùs probabilem, quam contingit eſſe falſam, & à lege æterna deviantem, relictâ eâ, quam veriorem, probabiliorem, Divinæ Legi magis conſonam judicat, vincibiliter erret: tum quia ratione formidinis annexæ opinioni minus probabili & minus tutæ errorem aliquo modo prævidêre poteſt; tùm

tùm quia veritatem aliquatenus contemnit quando relinquit illam ſententiam quam probabiliorem & conſequenter magis veritati conſentaneam & appropinquantem novit, & ſequitur minus probabilem, quæ magis quo-ad apparentiam à veritate recedit. Si autem talis vincibiliter erret, etiam à culpa immunis non eſt: ſicuti non foret à reprehenſione immunis ſervus, quem Dominus pro prægnanti cauſa Bruxellas miſiſſet, ſi relictâ viâ certâ & tutâ ingrederetur viam, quæ tantum quoad apparentiam eò duceret, & ſic erraret, ut Bruxellis tempore ordinato eſſe non poſſit.

Plurima alia Adverſariorum quoad ignorantiam dogmata adferre poſſem: verum tria hæc ſufficiunt, cum ex illis quilibet veritatis ac ſalutis ſuæ amans facili colligat negotio, quantus peſſimarum conſequentiarum concluſionumque inde deducatur acervus.

78. Sequitur nunc ut brevi filo huic tractatui conſuam, quænam Adverſarii doceant quoad aliud punctum, in quo nos accuſant, ſcilicet quoad Præceptum referendi opera in Deum. In primis clarum eſt quod ſi negent dari verum præceptum (quod & negant) omnia deliberata opera referendi in Deum, conſequenter adſtruant eſſe licitum ultimatè in creaturâ ſiſte-

ſiſtere & hærêre : atque ſic licêre finem ultimum ſaltem ſecundum quid creaturæ attribuere, adeoque & creaturâ frui. Nam *frui* nihil *eſt* aliud Auguſtino, quam *amore alicui rei inhærêre propter ſe-ipſam.* Ut ait lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 4. cum tamen eodem teſte lib. 83. qq. quæſt 30. *Omnis humana perverſio eſt, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Undè concludit lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 5. *Res, quibus fruendum eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eſt.*

Hinc & ulterius Adverſarii Doctrinis ſuis implent paginas, non ſolum licitum, ſed & virtutis actum eſſe operari actum virtuoſum ab ſolam naturalem honeſtatem actûs.

Si horum dogmatum inquiramus originem, non obſcurè inveniemus illa pullulaſſe ex atramentario antiquorum gentilium Philoſophorum, maximè Stoïcorum. Cùm enim illis non uſque adeo, atque Chriſtianis Evangelicâ luce illuminatis, compertus eſſet verus ultimus finis humanarum actionum Deus; ſic ad ſummum operari poterant actus virtutum propter naturalem eorum honeſtatem: quia decet creaturam rationalem virtutibus eſſe ornatam. Altius autem non aſſurgebant, ſed ſolo bono mentis creatæ deliniti in ſe hære-

re-

Digitized by Google

rebant. Hinc & familiare eorum axioma erat: *mihi adhærere menti meæ bonum eſt*. Hos tamen ſæpiſſime ſtylo ſuo redarguit & confodit S. Auguſtinus (præcipuè lib. 4. cont. Jul. cap. 3.) & Chriſtianorum aſſerit dicere: *Mihi adhærêre Deo bonum eſt*.

Tuum judicium, Sanctiſſime Pater, petunt Pii Fideles, qui informari exoptant an hæ Stoïcorum virtutes mereantur nomen virtutis Chriſtianæ. An non obligentur Chriſtiani (quibus notum eſt ſummum bonum & ultimum finem non in aliquo creato, ſed in ſolo Deo conſiſtere) ultra omnem creaturam, etiam ſeipſos, aſſurgere & ibi figere finem intentionis ſuæ, quæ, teſte Auguſtino, ubi recta eſt, *oculos ſemper habet ad Dominum*.

79. Non intra hos limites ſe Adverſariorum coarctavit licentia, ſed latius quam intra has Stoïcæ Sapientiæ anguſtias divagata eſt. Non enim deſunt qui omni molimine & conatu defendunt hanc propoſitionem: *Voluptates ſenſuum licitè appeti poſſunt propter ſe*. Undè inquirit R. P. Eſcobarius: *An comedere & bibere uſque ad ſatietatem abſque neceſſitate, ob ſolam voluptatem, ſit peccatum?* Et ingenuè mentem ſuam declarat, dicens: *Reſpondeo cum Sanctio negativè, modò non obſit valetudini: quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*.

Do-

Doctrina hæc tum à Senonenſi Synodo anno 1658. tum à Namurcenſi anno 1659. aliiſque proſcripta eſt, tamquam falſa, ſcandaloſa, à Chriſtianæ vitæ regulis abhorrens, ex corruptiſſimis voluptariorum Philoſophorum petita dogmatibus, & directè contraria Sanctorum Patrum ſenſui. Teſte enim S. Auguſtino l. de morib. Eccl. cap. 21. *Habet vir temperans in rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam, utroque teſtamento firmatam, ut earum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet: ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt uſurpet utentis modeſtiâ, non amantis affectu.*

Quoad hujus dogmatis fontem & ſcaturiginem, clarum eſt illam eſſe Epicurum & ejus aſſeclas: qui cum in corporis voluptate & libidine finem ultimum ponerent; propter illa ſola creaturam rationalem poſſe licitè operari docuerunt.

Judicabit autem Tua Sanctitas an hæ Doctrinæ earumque praxes, ex Epicureorum penu depromptæ, non dedeceant creaturam rationalem: quam Supremi Increati Boni capacem eſſe, illoque ſolo poſſe ſatiari, ac frui debere Fides docet. An tam excellentis prærogativæ creatura non ſe plus æquo ſubjiciat & nimium ſerviliter ancilletur, quando ob tam vilia motiva ope-

operatur : ob quæ ſola operari magis pecorinum quam humanum eſt. An hæ doctrinæ non multum divagentur & recedant ab incorrupta, pura, ſana Sanctorum Patrum ſententiâ, quam nos omnibus viribus opportunè importunè tum verbis tum ſcriptis hominibus inculcamus. Quem conatum ſi foveat Tua Sanctitas, maximum incrementum accipient atque altas radices agent doctrinæ noſtræ in animis fidelium: quorum eſt non Stoicorum, Epicuræorum, & Peripateticorum aut ſimilium mundanę ſapientiæ nundinatorum regulis ſe conformare, ſed maximis Evangeliorum in doctrina & exemplis Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri fundatis.

80. Neque laborioſum foret oſtendere, quomodò Adverſarii prædictis ſuis principiis de probabilitate eludant propemodum omnium præceptorum tam Decalogi, quàm Eccleſiæ obligationem : maximè ſi illud principium, *melior eſt conditio poſſidentis*, in omni planè materiâ locum habeat, ut ipſi prætendunt. Illo enim principio velut quadam novaculâ plurimas abradunt agendi obligationes & peccata. Verum timendum eſt ne novacula illa acuta faciat dolum : cum principium illud Sanctis Patribus incognitum fuerit, & Pontifices in ſuis deciſionibus ſoleant planè diverſo in-

niti principio, nempè: *In dubiis tutior via eſt eligenda*. Nec immeritò, quandoquidem planè ſit ridiculum, quod homo in foro conſcientiæ ſit manutenendus in poſſeſſione ſuæ libertatis contrà Deum. Verum illud probando juſtæ longitudinis metam tranſilirem: quare ſufficiet paucis exponere quomodò apud ipſos Chriſti Fides & Religio, res ſacroſanctæ, in tuto non ſint: quomodò Chriſti Fideles à primariis ſuæ profeſſionis officiis nitantur abſolvere.

81. In primis quantum ad fidem, ex quâ *juſtus vivit*, & ſecundum quam omnis Chriſtianus omnia ſua opera facere debet, quamquam non amplius docêre audeant in terminis illud ab Alexandro VII. reprobatum horrendum dogma: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*, tamen à parte rei, neſcio quâ fronte, illud idem nunc docent: cùm jam loco veræ fidei, quam Apoſtolus deprædicat eſſe *ſperandarum ſubſtantiam rerum*, *argumentum non apparentium*, & ſine qua dicit *impoſſibile eſſe placêre Deo*, novam fidem, quam (ut audio) latè dictam vocitant, obtrudant; fidem elementarem, ſeu ſcientiam de Deo ex creaturis hauſtam, quam ſatis momenti ad ſalutem habêre ſæpiùs Lovanii in Theſibus publi-

publicis defendit R. P. Ægidius Eſtrix è Societate Jeſu S. Theologiæ Profeſſor : quem paſſim jam alii ejuſdem Societatis Theologi ſequuntur , uti & Reverendi Patres Minoritæ. Si illa Fides latedicta ſufficiat ad ſalutem ; ergò numquam vi ſuâ & per ſe obligat pręceptum Veræ Fidei Divinæ , de quâ agit Alexander VII. in decreto citato.

Quô hæc vergant facili negotio Tua Sanctitas dijudicabit , an non ad evacuandam gloriam Crucis Chriſti , ad aperiendam portam infidelibus, quâ ſine Evangelii doctrina , ſine Fide Divina (quæ non eſt niſi ex auditu) ad ſalutis portum perveniant ?

82. Secundò ita fidem Chriſtiano neceſſariam limitant , ut multi ex illis putent ne quidem poſt promulgatum ſufficienter Evangelium fidem explicitam Mediatoris neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem : cùm tamen non ſit aliud nomen ſub cælo datum hominibus , in quo nos oporteat ſalvos fieri. Et cùm dicat Scriptura Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium ſuum Vnigenitum daret: ut omnis , qui credit in eum, non pereat ſed habeat vitam æternam. . . . . Qui credit in eum , non judicatur : qui autem non credit , jam judicatus eſt , quia non credit in nomine Vnigeniti Filii Dei.*

 83. Ter-

Digitized by Google

83. Tertiò ita ejus extenuant neceſſitatem, ut, ſicut ad bonum opus neceſſarium negant Dei propter ſe amorem, ita & neceſſariam negent fidem, quantumvis imperfectam: cùm tamen dicat S. Proſper. ſentent. 224. *Non ſunt bona opera, niſi quæ per fidem & dilectionem fiunt*: Pręterea non habent reſpectum ad Eccleſiam in conſecratione Subdiaconi, nec ad S. Auguſtinum pluribus in locis, nec S. Leonem Serm. 2. de jejunio Pentec. Bonifacium II. in Epiſt. ad S. Cæſarium Arelatenſem, & alios illud Apoſtoli de vera fide (uti oſtendit magnificè Henricus Noris in Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 6.) ad Rom. cap. 14. explicantes: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*.

84. Quartò ex eo, quod Apoſtolus pronuntiat ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, communis hactenus Piorum Fidelium fuit perſuaſio, ſe quandoque obligari fidem palam exterius profiteri, maximè quando à publica poteſtate interrogantur. Si enim umquam obligentur, ſaltem tunc obligari videntur: cùm profeſſio fidei tunc illis maximè ſit honorifica. Tamen non ſine ſcandalo vidimus Antverpiæ à Reverendis Patribus Minoritis anno 1674. contrarium ſuſtineri in Theſibus publicè defenſis, in

quibus

Digitized by Google

quibus habebantur hæc verba : *Sed quid ſi à poteſtate publicâ quis interrogetur ? Ingenuè confiteri, ut Deo & Fidei glorioſum : tacêre ut peccaminoſum per ſe non damno.* Nonne ille tali temporis articulo obmuteſcens timere debet, quod Æterna Veritas fulminat apud Lucam. cap. 9. *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt ?*

85. Quintò cum Fides, quâ Chriſtiani ſumus atque Catholici, motivo planè infallibili cognito ut tali, ſcilicet auctoritati Dei loquentis innitatur ; Piorum omnium Fidelium communis ſenſus eſt, actum Fidei planè certum & indubitatum eſſe debere. Non ita viſum eſt Novitati : Novi enim recenteſque venerunt Doctores, qui & ſua de probabilitate generalia dogmata etiam ad Fidem transferunt. Hinc 1674. in publicis Theſibus hîc Antverpiæ defenderunt Reverendi Patres Minoritæ. *Licitum eſt ſequi ſententiam æquè probabilem & minus tutam, idque tam in materiâ Fidei, quam morum.* Et in aliis Theſibus eodem anno : *Poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum Fidei, quem habebat ſupernaturalem.* Hauſerunt hanc doctrinam ex Diatriba Theologica ſive manuductione ad Fidem Divinam R. P. Eſtrix è Societate Jeſu S. Theologiæ Profeſſoris : in quâ habentur hæc Novitia do-

gmata, Piis Fidelibus horrenda. Atque numero 159. folio 83. ſic lego: *Accidere poteſt, ut is qui credit aſſenſu Fidei ſupernaturali ac ſalutari rem quampiam à Deo revelatam, incipiat deinde prudenter de eadem dubitare.* Et non multò poſt fol. 84. habetur: *Licet ei, qui jam credidit ex argumento locutionis Divinæ probabili, deindè non credere, præcipuè ſi quod eſt contrarium Fidei, appareat etiam veriſimilius.* Num. 165. fol. 86. vidêre eſt: *Poteſt caſus incidere quo prudenter quis repudiet aliquem Fidei aſſenſum, ſi cœperit apparêre æquè vel magis probabile Deum non eſſe id elocutum, quod exiſtimabatur prius.* Ex hiſce Manuductor ad Fidem Divinam conſequenter docet actui ſupernaturali Fidei poſſe eſſe annexam formidinem de oppoſito. Quippè numero 164. folio 86. ait: *Ex iis, qui inter hæreticos degunt, ſi quis fortè adhibitâ pro captu ſuo diligentiâ quam potuit & nihil comperit certi; credit tamen quia ſentit hæc probabiliora* (qui Actus Fidei eſt ſupernaturalis, apud eundem R. Patrem) *nulli dubium eſſe poteſt, quin formidare huic liceat: imprudens ſit, ſi non formidet.* Et numero 166. fol. 87. pergit: *Sed neque potuit dubium eſſe Viris Sanctis & perſpicacibus quoſdam eſſe in mundo homines, quibus non eſſet vitio vertendum ſi non crederent firmiſſimè, immò ſi ne crederent quidem ea, quæ credenda palam proponit Catholica*

Digitized by Google

lica Eccleſia. Verum merito librum hunc Roma proſcripſit.

Non fert animus hic dogmatum horum inveſtigare radicem aut originem: præſtitit id invictè paucis ab hinc annis Vir Egregius; qui ex S. Bernardo oſtendit hæc dogmata ex Petri Abailardi doctrinâ profluxiſſe.

86. Sanctiſſime Pater non minus durè quam graviter angunt & tangunt hæc dogmata Pios Fideles, hîc inter hæreticos degentes. Vident ſiquidem quod, ſicut per Fidem late-dictam infidelibus extra Catholicam Fdem & Eccleſiam manentibus ſalutis via non præcluditur, ita & hæreticis pertinaciter in hæreſi ſua perſeverantibus per ſimilia de fide dogmata porta juſtificationis & ſalutis aperiatur. Certè non hac methodo ab Eccleſia Catholica (extra quam non eſt ſalus) devii ad ejus gremium reducentur: ſed ècontrà datur talis farinæ hominibus anſa ad perſeverandum durâ cervice in ſua hæreſi, ſi ſibi perſuadeant ſe in ſua ſecta manêre poſſe, & in eadem ſalvari quamdiu illa probabilis judicatur; etiamſi doctrina Catholicorum illis magis tuta videatur. Certè Sanctius & Caſtro-Palaus apud Boſſium de conſcient. part. 1. tit. 1. §. 25. num. 436. conſequenter ad ſupradicta principia aſſerunt Infi-

delem vel Hæreticum, cui ſecta ſua credibilis apparet, nec in articulo mortis obligari ad credendum. A quâ ſententia non multum abhorret ut ſolet benignus Caramuel Theol. fundam. pag. 472. ubi propoſito dubio nec ſoluto non obſcurè ſignificatur de Lutherani ſalute, modò illi ſua ſecta videatur probabilis, non eſſe deſperandum. Ab hac docendi via non declinant Theſes Reverendorum Patrum Minoritarum ſupra citatæ. Ex qua doctrina quanta pernicies animarum & Hæreticorum præſumptio oriatur, omnes boni & Orthodoxi exhorrent, dum vel cogitant. Et revera ſi umquam ſequenda ſit tutior ſententia, an non in arripienda Fide amplexanda eſt, quæ Fides unicè vera, unicè neceſſaria eſt ad ſalutem? Fingamus quod ſervum herus mittat Bruxellas negotiorum maximi momenti curandorum causâ; & illum oſtendere ſervo tutam viam, quâ ſecurè & certò eò devenire poteſt: an non temeritatis & reprehenſionis nota tali ſervo meritò inureretur, qui ſciens tantum unicam viam in urbem ducere, relictâ illâ quam novit tutiorem, ingreditur aliam non ita tutam, quæ ipſi probabiliter eò ducere videtur? Indubie. Et non dicemus temerarium & maximâ reprehenſione dignum; qui in materia ſummi momenti ex qua ſalus

lus

lus animæ dependet, uti contingit in amplectenda Fide ſequitut ſententiam minus tutam. Certè non ita in bonis temporalibus magni valoris (v. g. tranſvęctione notabilis ſummæ pecuniarum) auderent procedere. Et ſic filii hujus ſęculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſuâ.

Deindè negari nequit quin inter hęreticos multi viri docti & quoad externam ſaltem apparentiam, etiam probi inveniantur: quam facilè ergò non poteſt contingere ob ipſorum auctoritatem ſimplicioribus hęreticis ſuam ſectam videri probabilem & credibilem: adeoque & illi licitè in illa hęreſi perſeverare poſſent, licet doctrina catholica videatur ipſis tutior. Præterea ſi & Catholicus quandoque prudenter repudiare poſſit aſſenſum fidei, quem habebat ſupernaturalem; cur & non quandoque prudenter & licitè relictâ Fide Catholicâ ob auctoritatem Virorum doctorum & proborum apud hęreticos arripere poſſet Fidem Calvinianam, Lutheranam aut aliam?

Oportet (cum S. Bernardo ep. 190. tuam interpellabo Beatitudinem) *ad Veſtrum Apoſtolatum, Sanctiſſime Pater, referri pericula hæc, & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de Fide contingunt: dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri dogma*

 Fidei,

Fidei, ubi non poſſit ſentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergò quod ſequitur, à Petri Succeſſore exigitur: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Id quidem modo neceſſarium tempus eſt; cùm per prędicta dogmata infirmi fideles conturbentur, puſilli in fide vacillent, & heterodoxi in hæreſi confirmentur. *Recordare, Sanctiſſime Pater* (iterum cum S. Bernardo lib. 3. de conſiderat. cap. 1. loquar) *nunc vocis illius: ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Ergò ſi te agnoſcis ſapientibus & inſipientibus non dominatorem ſed debitorem, curandum ſummoperè Tibi, & totâ vigilantiâ conſiderandum, quomodò & qui non ſapiunt ſapiant, & qui ſapiunt non deſipiant, & qui deſipuêre reſipiſcant. At nullum genus inſipientiæ infidelitate (ut ſic loquar) inſipientius eſt. Ergò & infidelibus debitor es, Iudæis, Græcis & Gentibus. Intereſt proindè Tua dare operam quam poſſis, ut increduli convertantur ad Fidem, & converſi non avertantur, averſi revertantur, perverſi ordinentur ad rectitudinem, ſubverſi ad veritatem revocentur, & ſubverſores invictis rationibus convincantur; ut vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt, vel ſi non, perdant auctoritatem facultatemq; alios ſubvertendi*, & Tuâ Supremâ Auctoritate comprimantur. Id confidimus, id ſperamus

pro

pro majori utilitate Eccleſiæ, cujus cura Tibi eſt commendata.

87. Petunt igitur docêri Pii Fideles, Sanctiſſime Pater, an in praxi tuta ſit ſententia, quæ aſſerit Fidem late-dictam, ſeu ſcientiam de Deo hauſtam ex creaturis, habêre ſatis momenti ad æternam ſalutem. Quippè hactenus ſibi firmiliter perſuaſerunt ſine Divina Fide, innitente Auctoritati Dei loquentis tamquam motivo, impoſſibile eſſe placêre Deo. Ad quid enim Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas judicaſſet, quod ſi quis inter gentiles inveniretur, qui graviter numquam naturæ legem prębvaricatus fuiſſet, Deus vel prędicatorem ad eum mitteret, qui eidem annuntiaret fidem, vel angelum de cęlo qui eum doceat; ſi ſufficiens foret in ratione Fidei ſcientia de Deo, quam ex mundi contemplatione quilibet haurire facile poteſt?

Secundò deſiderant inſtrui ab Apoſtolicæ Sedis Faſtigio, an Fidelis ubi à poteſtate publicâ de Fide interrogatur, non teneatur ad exemplum omnium Martyrum & Confeſſorum Fidem, quâ corde credit ad juſtitiam, ore clarè confiteri ad ſalutem. Non raró ille caſus in Acatholicorum partibus, quibus proximè contermini ſumus, contingit.

Tertiò Tuæ Beatitudinis expectant Ora-

raculum, an ſatis tutæ ſint ſententiæ, quas de fide probabili, de fide cui annexa eſt prudens formido de oppoſito, de licitâ (ut ajunt) permanentiâ hęretici in ſua ſęcta, quamdiu ipſi credibilis videtur, licet Catholicorum tutior ipſi hęretico appareat dogmatizant Adverſarii. Hęc etenim ſi vera ſint, non eſt quod de ſalute maxime partis Heterodoxorum deſperemus: neque ita eſſemus anxii pro ipſorum converſione & reductione ad Eccleſiæ Catholicæ gremium. Verum nos fundatè tenemus, immò certò judicamus hęc à fide verâ aliena eſſe: Tua, Sanctiſſime Pater, auctoritas poteſt efficere, ut de eorum falſitate nullum ulli impoſterum dubium ſuperſit; cùm futurum ſit ut omnes Tuæ Deciſioni acquieſcant: niſi forte Adverſariis probabiliter probabile ſit Tuæ determinationi non eſſe obtemperandum.

88. Evacuato propemodum Chriſtianæ Vitæ fundamento, hoc eſt verâ fide; inquiramus an rẹligioſiùs aut ſanctiùs tractent virtutem Charitatis, quæ eſt virtus præcipua, virtus maximè neceſſaria, virtus propria Chriſtianis. Eſt virtus pręcipua: nam nullum eſt iſto dilectionis Dei dono excellentius, ut loquitur S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit, cap. 18. *Quid enim pretioſius? Quid luminoſius? Quid firmius? Quid*

ſecu-

ſecurius? Ut habet ſerm. 50. de verbis dom. Eſt virtus maximè neceſſaria. Nam *quidquid ſe putaverit homo facere benè, ſi fiat ſine Charitate, nullo modo fit benè.* Ut ait idem S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18. *Vniverſa inutiliter habet, qui unum illud quo univerſis utatur non habet.* Ut dicit ſerm. 50. de verb. Dom. *Charitas enim ducit ad Deum, & ſine qua quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum.* inquit lib. 15. de Trin. cap. 18. Eſt virtus propria Chriſtianis: quia *dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli.* Ut ait expoſit. 8. in Ep. Joan. & lib. 15. de Trin. cap. 18. Et hinc teſte laudato Auguſtino lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 10. *Non præcipit ſcriptura niſi Charitatem, nec culpat niſi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.* Hæc ſancti Auguſtini verba paradoxa ſunt, ſi vera ſint Adverſariorum dogmata è diametro illis oppoſita.

89. Primò quamvis ob Bullam Alexandri VII. non amplius aſſerere audeant, quod anteà docuerant, Charitatis ſeu Divinæ dilectionis actum nuſquam per ſe ac directè pręcipi (quod effatum meritò communis Piorum Fidelium ſenſus & pietas exhorreſcit) tamen jam ita extenuant illud præceptum, ut aſſerere audeant non mortaliter delinquere contra primum ac

maxi-

maximum dilectionis præceptum, qui ſemel volatico charitatis actu in vitâ diutius protractâ Deum ſuper omnia diligit. Certè Reverendi Patres Minoritæ in Theſibus Antverpiæ defenſis anno 1674. condemnare non audent mortalis peccati, qui tantùm ſemel in vita actum dilectionis Dei eliceret. Illudne eſt diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus, ſemel in vita volaticè actum dilectionis Dei elicere? Contrarium judicavit S. Auguſt. lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 22. Deindè cùm juxta Sanctos Patres omnia opera noſtra debeant procedere ex charitate vel cupiditate, & *rationaliis animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator ſit aut mundi* (ut loquitur S. Leo Serm. 5. de Jejunio ſeptimi menſis) licitum foret totius vitæ decurſu mundum diligere ſeu creaturas, & ſufficeret ſemel diligere Deum. Quis Pius Fidelis, & talia audiens non ingemiſcat? Quis non tamquam impium & primo maximoque mandato contrarium dogma hoc damnet? *Non præcpit* (ait S. Auguſtinus) *Scriptura niſi charitatem, & non culpat niſi cupiditatem*: & Novi hi Doctores ita Antiquitati audent obſtrepere, ut tantum ſemel in vitâ præceptum Charitatis actum aſſerant, & reliquos relinquant cupiditati? Quam aliena ſunt

hæc

hæc à Piorum perſuaſione Fidelium! Audiamus potius piam animam & fidelem: audiamus loquentem Sanctum Auguſtinum in ſuis Soliloquiis (cap. 18.) & ad Deum ſuſpirantem: *Domine Deus meus, Sanctificator meus, juſſiſti in lege tuâ ut diligam te toto corde meo, totâ animâ meâ, & totâ mente meâ, totâ fortitudine meâ, & totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei omnibus horis & momentis, quibus fruor bono miſericordiæ tuæ.....*

90. Secundò ſicuti ex eo quod ex ore Primæ Veritatis habeamus primum & maximum eſſe mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Invictè hactenus Pii probârunt obligari Fideles vero dilectionis actu amare Deum; ita ex eo quod eadem Prima Veritas affirmet: *Secundum ſimile huic, diliges proximum ſicut teipſum*, iidem Pii Fideles omninò indubitato ſibi perſuadent ſe obligari quandoque proximum vero dilectionis internæ actu amare. Attamen non ita hoc Novis noſtris Doctoribus viſum eſt: qui, cùm non amplius eo præcipitantiæ & audaciæ prorumpant ut adſtruant doceantvè, non dari umquam obligationem per ſe amandi Deum vero dilectionis actu interno ob auctoritatem Alexandri VII. tamen cùm nihil laudatus Pontifex determinaverit circa præceptum dile-

dilectionis proximi, jam communiter docère incipiunt non dari umquam obligationem amandi proximi interno & formali dilectionis actu : ſed ſufficere inquiunt, ſi (ubi exiget neceſſitas) exteriora amicitiæ ſigna ipſi exhibeant v. g. dando eleëmoſynam ubi in neceſſitate erit : quæ exteriora amicitiæ ſigna exhibendi obligatio ita iterum ab ipſis limitatur, ut rariſſimè occurrat obligatio illa præſtandi.

Doctrinam hanc publicis in Theſibus Lovanii defendit Reverendus Pater Ægidius Eſtrix è Societate Jeſu Sacræ Theologiæ Profeſſor anno 1670. 30. Junii his verbis : *Extat ſpecialis lex exhibendi proximo quædam officia, & propulſandi ab eodem quædam mala in certis circumſtantiis, lex tamen illa charitatis non obligat, ut proximum ſpeciali amore interno amemus.* Eandem affectionem poſtea & alii Societatis Jeſu Profeſſores docuerunt & publicè defenderunt : quos ſecuti ſunt Reverendi Patres Minoritæ in Theſibus publicis Antverpiæ defenſis 1674. & Lovanii 1675. In quibus doctrinam hanc confidenter affricant Sanctis Auguſtino & Bernardo, non ſine injuriâ laudatorum Patrum.

Obſtupeſcunt, obſtupeſcunt, Sanctiſſime Pater, Fideles Belgæ hoc Novorum Doctorum dogma inauditum : & excan-

deſcunt

Digitized by Google

deſcunt ſic omnem veram inter homines amicitiam tolli: nec ſciunt quomodò rectè cum Sacris Paginis conciliari poſſit illa ſpuria & adulterina fraterna Charitas; cum verba Scripturæ Sacræ, juxta unanime interpretum judicium tamdiu in proprio ſenſu intelligi debeant, quamdiu poſſunt ſine incommodo ſic uſurpari. Verbum autem, *Diliges*, importat internum voluntatis erga alterum affectum. Secundò Prima Veritas apud Joan.cap.13. expreſsè dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Atqui Chriſtus nos internæ dilectionis actu amavit: ergò & ita proximum amare debemus. Tertiò Chriſtus Dominus non pręcepit modò ut benefaceremus inimicis, ſed & ut eos diligeremus. Audi illum Matth. cap. 5.deprædicantem: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his,qui oderunt vos: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.*

Saltem ad hęc uſque tempora edocti fuerunt Pii Fideles ex Sanctis Patribus ſe obligari amare Deum propter ſe vero interno dilectionis actu: proximum autem & ſemetipſum propter Deum. Hinc S. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. cap.10. Charitatem vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Autumant autem ſe contra chari-

tatem delinquere, ſi non proximum propter Deum diligant. Hæc eſt vera Chriſtiana Charitas.

91. Ut autem pateat quantum Adverſarii limitent obligationem exteriora amicitiæ ſigna exhibendi proximo; eſt animus paucis adferre aliquas eorum circa illam obligationem laxitates. Et in primis quantum ad præceptum Eleëmoſynæ, quod ſæpiſſimè in Sacris inculcatur Eloquiis, illud aut numquam, aut ſanè rariſſimè putant obligare. Nota eſt paradoxa R. P. Gabriëlis Vaſquez doctrina, quâ aſſerit, *vix poſſe inter ſæculares reperiri, qui ſuperflua habeant.* Cùm autem conſtans iſtius togæ Doctorum doctrina ſit non niſi in extrema neceſſitate pauperibus eſſe ſuccurrendum de bonis neceſſariis ad vitam vel ſtatum; & extrema neceſſitas rariſſimè occurrat: ſit conſequens & rariſſimè occurrere obligationem præcepti Eleëmoſynæ. Alias laxitates circa illud præceptum in particulari referre non eſt neceſſe cùm omnes ſufficienter includantur in enormi illa doctrina, quam tradit R. P. Hermannus Buſembaus è Societate Jeſu Theologus in ſuo libello vulgo noto: quem ejus Socii confeſſariis valdè commendant. In quo libello lib. 2. tract. 3. cap. 2. dub. 3. ait: *Nulli omninò, quantumvis diviti, omnes pauperes ſine*

Eleë-

Eleëmoſyna repellenti, facilè neganda eſt abſolutio; cùm ob dubium & diſſenſum Doctorum de hac obligatione: tum quia vix reperitur qui cauſam ſaltem apparentem non prætendat, ſi ſuperflua ſe habêre fateatur.

92. Sanctiſſime Pater, quam ſunt hæc piis auribus enormia, utpote contraria S. Scripturæ, Traditioni, & ſenſui omnium Sanctorum Patrum! Quantum enim ad S. Scripturam attinet, illa frequenter Eleëmoſynæ præceptum inculcat, & in illa frequenter homines damnantur ob neglecta miſericordiæ opera. Sic Chriſtus in fine ſæculi, extremoque judicii die Matth. cap. 25. ſeverè intonabit *his, qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me* &c. Quantum ad Sanctos Patres, Traditionis Bajulos, valdè rigidè in hac materia procedunt; ita ut non raró inſinuent omnia planè ſuperflua ex juſtitia pauperibus debita eſſe. Hinc illa paſſim vocant *res & bona pauperum. Superflua diviti, neceſſaria ſunt pauperi: aliena rapit, qui iſta detinet.* Ait S. Auguſt. in Pſalm. 147. Audierunt enim Dominum ſine diſtinctione præcipientem Luc. 11. *Quod ſupereſt, date Eleëmoſynam.*

 Tan-

Tantum autem abeſt ut Sancti Patres cum R. P. Gabriële Vaſquez judicaverint vix inter ſæculares reperiri, qui ſuperflua habeant, utècontra dicat S. Auguſtinus in Pſalm. 147. *Multa ſuperflua habemus, ſi non niſi neceſſaria teneamus.* Et alibi Serm. 62. de temp. *Dominus ita hortatur & admonet Eleëmoſynam fieri, ut propè nullus pauper ſit, qui ſe valeat excuſare.* Undè patet quod veriſſimè dixerit Cardinalis Toletus in ſua ſumma: *Qui ſuperflua habet, debêre multum timêre, & confeſſarios debere illis maximè conſulere, ut diſtribuant, nec apud ſe retineant: quia etſi Doctorum Scholaſticorum communis ſententia eos excuſet, tamen Doctores Sancti illos damnant, ut ſit profecto ſententia probabilis illos obligari ſub præcepto.*

lib. 8 cap. 35. num. 3.

93. Tuum judicium, Sanctiſſime Pater, Pii Fideles deſuper petunt, an prædicta doctrina in praxi tuta ſit: Libenti & facili animo multi Fideles ſe Tuæ conformarent Determinationi, ſi illam doctrinam approbes: quoniam & Deum id quoque concedere hinc dignoſcent.

Petunt ſecundò an intra ſatis juſtos limites redigatur laxitas, ſi aſſeramus Fideles quidem obligari ſuccurrere pauperibus: ſed tamen huic obligationi ſatisfacere, ſi dent cum onere reſtitutionis. Sic enim aſſerit ſupra notatus Buſembaus: *Proximo*

in

in extremâ neceſſitate teneris ſuccurrere ordinariè, ex bonis etiam aliquo modo ad ſtatum neceſſariis. Satisfacis tamen probabiliter, ſi des cum onere reſtituendi, quando erit ditior.

Cauſam dubitandi præbet, quod ſic iterum elidatur & eludatur obligatio Eleëmoſynæ. Secundò quia Scriptura dicit: *Diſperſit, dedit pauperibus* Pſal. 111. & iterum *Perde pecuniam propter fratrem.*

Eodem modo adverſarii elidunt ac eludunt præceptum fraternæ correptionis.

94. Non parum etiam patebit, quam parvam à fidelibus erga Proximum exigant Charitatem ſi conſideremus illorum doctrinam qua licitum fidelibus aſſerunt injuſtum bonorum temporalium ac vani honoris invaſorem occidere, licet ipſum eſſe ſciant in peccato mortali conſtitutum. Conſtans hæc & communis eſt omnium Adverſariorum doctrina. Undè non eſt neceſſe ut particularem hujus ſententiæ patronum allegemus.

Quia autem caſus hic facillimè contingere poteſt, deſiderarent Pii Fideles, Sanctiſſime Pater, ut determinares quid ſit de hujus doctrinæ veritate. Hactenus enim Pii Fideles non viderunt cum S. Auguſtino l. 1. de lib. arb. c. 5. *Quomodo à paccato liberi erunt, qui pro iis rebus, quæ contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

Contemni autem à Chriſtiano debere & bona temporalia & mundanos honores tum dictis tum factis Chriſtus docuit. Perſuaſerunt enim uſque ad nunc ſibi præceptum illud naturale, *non occides*, generaliter intelligendum eſſe de omnibus voluntarii homicidii caſibus, quos ipſe Legiſlator, vitæ ac necis Dominus, non excepit. Undè *his exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

lib. 1. de Civit. cap. 21.

Miramur ſummopere Sanctiſſime Pater, quod & adhuc poſt decretum Alexandri VII. audeant docere licitum eſſe defendere honorem cum occiſione injuſti invaſoris; cum illa doctrina ſufficienter ab ipſo ſit proſcripta, quando inter alias & hanc numero 17. condemnavit: *Eſt licitum Religioſo vel Clerico Calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſuâ religione ſpargere minantem occidere quando alius modus defendendi non ſuppetit uti ſuppetere non videtur, ſi Calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Licèt enim in prædicta propoſitione tantùm agatur de Religioſis & Clericis, eorum tamen eadem atque ſæcularium eſt ratio: cum tantum

jus

jus habeat Religioſus ad ſuam famam & honorem quantum ſæcularis. Et Religioni magis eſt neceſſaria ſua fama, quam particulari homini ſæculari.

95. Quantum ad virtutem Religionis quæ Deo debitum exhibet cultum, quod illam planè tollant & ejus loco meram hypocryſim inducant breviter ſequentibus oſtendi poteſt.

Primò cum S. Aug. multis in locis aſſerat *quod non colatur Deus niſi amando*, ipſi verum Deo cultum abſque omni erga eum affectu exhiberi poſſe conſtanter propugnant.

Secundò cum Scriptura Lucæ 18. & 1. Theſſ. 5. doceat *oportere ſemper & ſine intermiſſione orare*, ipſi numquam aut rarò præceptum orationis obligare judicant.

Tertiò famoſa jam eorum doctrina eſt veram orationem poſſe ſubſiſtere cum voluntaria diſtractione, cum tamen SS. Patres definiant orationem quod ſit *elevatio mentis ad Deum*. Quomodò autem mens elevata eſt ad Deum, ſi ſe voluntarie ad Creaturas deflectat. Nonne hypocriſis eſt flectere genua, elevare ad cœlum oculos & cæteros orantium geſtus adhibere, & tamen cogitare de negotiis alienis & longe mente à Deo refugere? Undè merito conqueritur Deus de his dicens: *Populus hic*

Digitized by Google

labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Iſaiæ 29. Matth. 15.

Ex hoc abſurdo principio ſequitur & aliud abſurdiſſimum ipſorum dogma, nempè quod Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, quos Eccleſia ſtatuit tamquam publicos apud Deum pro populo Interceſſores, & ut jugi Orationis Sacrificio Deus honoraretur, ſatisfaciant Eccleſiæ præcepto de legendis horis Canonicis *reverenter & devotè*, licet voluntariè ſint diſtracti, modo exteriùs ſe modeſtè & reverenter habeant, quaſi vero exterior modeſtia reverentia ac devotio ſit vera devotio, & non potiùs ſimulatio veræ devotionis adeoque vera hypocriſis? Quid enim eſt agere hypocritam niſi exterius ſe gerere ac ſi bonum opus faciant, quod tamen non faciunt ſed ſimulant? Illum nullus dicet vere devotum qui nunquam aut raro orationi incumbit, & dicemus vere devotum qui cùm debeat orationi incumbere, voluntarie ſe diſtrahit cum hic ſua diſtractione peccet in opere ratione cujus devotus dicitur?

Deducitur etiam & aliud abſurdum conſequens tales Clericos ſic legentes horas, facere etiam fructus ſuos, cùm tamen non faciant opus præceptum quod erat ut devotè orarent.

96. Quartò quamvis Chriſtianorum vita de-

debeat eſſe continuus ac non interruptus Dei cultus,voluit tamen Deus ut diem dominicum ſpecialiter Dei cultui impenderent,in quo ab omnibus ſervilibus operibus, quæ ſæpiùs homines diſtrahunt, liberi ſoli ſuo Deo vacarent, at quia cultus ille Deo exhibendus indeterminatus à Deo eſt relictus, ſaltem pro parte ab Eccleſia eſt determinatus ad auditionem devotam & reverentem Sacrificii Miſſæ: cum enim illo Sacrificio Deo Patri infinitus exhibeatur honor, indubie optimum & gratiſſimum Fideles divinæ majeſtati exhibent cultum, ſi devotè & reverenter Sacro aſſiſtant & ſimul Sacrificium iſtud, aliaque deſideria pia, ſimul cum illo Deo offerant. Verum hic iterum effrænis luxuriantium ingeniorum licentia exorbitat cùm Adverſarii doceant Fideles præcepto Eccleſiæ ſatisfacere modo corpore ſint modeſtè præſentes licet voluntarie mente abſint etiam inhoneſtis occupati cogitationibus. Egregius profectò Dei cultus, ſemel per medium quadrantem corpore eſſe præſentem in templo, mente in foro, vel in conſortiis, & de reliquo totum diem impendere in luſibus, choreis, popinis, ſi non in pejoribus exercitiis; & tamen bene ſe diem dominicum celebraſſe Fideles jam ſibi perſuadent, poſtquam illa probabilitatum com-

commenta mundo innotuêre. Illudne eſt totum diem impendere divino cultui ? Imò licet præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſent per unius Sacri devotam auditionem, ſatisfacerentne præcepto divino de ſanctificando Sabbatho, ſi de reliquo nullum Deo cultum illo die exhiberent ? Cenſeorne totum diem impendere in hominis alicujus ſervitium, ſi media hora ipſius ſervitio inſiſtam, & poſtea per reliquum diei tempus opera alterius faciam ? Nullus hoc affirmabit : & cenſebor totum diem dominicum Dei cultui impendere, ſi mediam horam Deo, reliquum tempus meæ voluptati & commodo vel aliis creaturis impendam ? Quod autem totum moraliter loquendo diem cultui divino impendere deberent Fideles, vel ex eo ſolo colligitur quod pro toto die labor ſervilis à Deo ſit prohibitus; id autem Deus ordinavit ne cultui divino impedimento foret, quod non eſſet ſi Fideles ſatisfacerent divino præcepto de ſanctificando Sabbatho per unius Miſſæ auditionem, poſſent enim tunc ſine impedimento cultus divini debiti, totum diem moraliter loquendo laboribus ſervilibus inſiſtere. Audiamus quid de tali Sabbathi cultu judicet Cardinalis Hoſius Concilii Tridentini Præſes; dicit ergò : *Qualia nunc à multis Sabbatha celebrantur, non ſanctificari ſed*

Hoſius in Expl. 3. Præcepti Decal.

ſed prophanari videntur. Neq; enim ad potationes, ad choreas, ad luxus inſtituta ſunt Sabbatha: cùm recte ſcriptum ſit ab Auguſtino: melius eſt arare, quam ſaltare. Cujus etiam alio loco verba ſunt hæc: Obſerva diem Sabbathi non carnaliter, non judaicis deliciis, qui ocio abutuntur ad nequitiam. Melius utiq; totâ die foderent, quam totâ die ſaltarent. Nulla ſunt opera magis ſervilia quam ſunt hæc: ſed ut tanto tranquilliori mente contemplando Deo & beneficiis ejus recolendis vacare queamus. in Pſal. 91. in Pſal. 32.

97. Quintò Chriſtus Dominus ex hoc mundo diſcedens ad Patrem ob nimiam ſuam erga electos charitatem non ſolum divina ſua præſentia, ſed & corporali apud ipſos manere voluit uſque ad conſummationem ſæculi, undè reliquit per modum teſtamenti filiis ſuis ſemetipſum in Sacra Euchariſtia ut illo divino cibo ſaginati quotidiè creſcerent in virtutibus, & ſic quantum poſſibile eſt ipſi unirentur. Attamen quia divina bonitas nullum determinavit tempus quo Fideles obligarentur divinum illum cibum ſumere, Eccleſia ſuo præcepto ordinavit ut ſaltem ſemel in anno tempore Paſchali illum ſumerent. Cui præcepto juxta Adverſariorum doctrinam Fideles ſatisfaciunt per Sacrilegam communionem. Quis non videat multum per hoc derogari ſanctitati legum Eccleſiaſticarum

(quamvis hic non ſit lex mere Eccleſiaſtica, ſed poſita determinatione temporis per legem Eccleſiæ ingrediatur lex divina) ſi dicamus per actus malos ac Sacrilegos, per meram ſimulationem & hyprocriſim illis plene ſatisfieri poſſe.

98. Abſurdas has concluſiones deducunt Adverſarii ex duobus his falſis principiis : *Lex non præcipit niſi ſubſtantiam actus ; non poteſt lex etiam Eccleſiaſtica præcipere actum internum.* Quaſi vero Eccleſia non poſſet præcipere verum religioſum Dei cultum, verum actum devotionis, verum actum virtutis. Quaſi vero Eccleſia non poſſet præcipere actus qui ſunt maximè utiles ac neceſſarii in ordine ad finem quem intendit nempè ſalutem Fidelium in ordine ad quem maxime neceſſarii ſunt verus Dei religioſus cultus, vera devotio, verus virtutis actus, præcipuè internus. Si hoc non poſſit Eccleſia, omninò dicendum foret quod omnibus Eccleſiæ præceptis per meram hypocriſim ſatisfieri poſſet, quod à ſanctitate legum Eccleſiæ alienum eſt.

Ad te Sanctiſſime Pater qui es ſupremus Eccleſiæ legiſlator confugiunt Pii Fideles tibi ſubditi ſcire deſiderantes mentis tuæ declarationem circa Legum Eccleſiæ obligationem ; ſi aſſeras te non intendere obli-

obligare Fideles niſi ad externam actuum præceptorum poſitionem, multis Scrupulos eximes qui in habenda interna attentione & devotione laborant; Confeſſariis Piis magnum ſubſidium adferes, qui Adverſariorum doctrinam practicantibus abſolutionem jam denegant niſi praxi illi valedicere promittant, quod ab illis ob Adverſariorum authoritatem vix obtinere poſſunt. Si in noſtræ doctrinæ favorem declares, deſiſtent Adverſarii à ſua doctrina, ſicque Fideles in illam unanimiter conſpirabunt. Certe contra hæreticos docet Eccleſia, quod habeat poteſtatem veras leges condendi, quibus in conſcientia ſubditi conſtringuntur, at ſi illis per Sacrilegia, per hypocriſim, ſatisfieri poſſit, quam utilitatem ſpiritalem efficerent in Fidelium animis, quem finem tamen ſolum intendit. Nonnè Hæretici merito derident illas leges ſpirituales quibus per peccata plene ſatisfieri poteſt? Nonnè merito contemnunt illam ſpiritualem poteſtatem quæ non niſi ad ſolos externos actus, quos & Pſittaci aliaque bruta animantia ponere poſſunt ſe extendere poteſt? Verè Probabiliſtarum effrænis licentia plurima Eccleſiæ noſtræ Hæreticorum ludibrio & contemptui exponit, quæ & non raro Piis Fidelibus improperant, ad hoc enim allaborant ut inveniant

quæ

quæ in Eccleſia noſtra carpere poſſint.

Non hic ſe continuit exorbitantium ingeniorum licentia, indies magis ac magis accreſcens, tandem ultra omnem erubeſcentiæ metam proſiliens, eouſque venit ut dicere auſa fuerit etiam pręcepto divino fieri ſatis per actum Sacrilegii &c. v. g. per ſacrilegam communionem præcepto divino de ſumenda Euchariſtia; inſinuarunt doctrinam hanc paradoxam Patres Societatis Jeſu in Theſibus Lovanii nuperrimè defenſis hoc anno 1676. 20. & 21. Julii Theſi 23. in qua habentur hæc verba: *Quinni præcepto communicandi tum divino, tum Eccleſiaſtico facies ſatis, etſi in mortali communices? peccabis tamen hoc facto.*

Quid non audet effrænis licentia? Dicemuſne etiam divinas leges non niſi actus externos pręcipere & prohibere? Dicemuſne Deum non pręcipere actus veræ virtutis, ſed tantummodò externas veræ virtutis & pietatis ſimulationes? Non tam ad exteriora quam interiora reſpicit Deus, qui ad cor & affectum noſtrum reſpicit, illumque à nobis exigit.

Judicabit tua Sanctitas quò hæ doctrinæ vergant, ſi terminum illis non ponas quem tranſgredi non licebit, nihil tam abſonum, nihil tam à recta ratione abhorrens, nihil tam paradoxum, quod tandem non para-

doxum

doxum inveniet Patronum quodque conſequenter non tandem fiet probabiliter probabile, adeoque & ſecundum ipſorum doctrinam licitum. Quæ enim doctrina magis horrenda & ab omni piorum ac doctorum ſenſu magis remota eſt quam præcedens? Utpotè quæ dignitati & Sanctitati divinarum legum injurioſa eſt, omnemque propemodum ſpiritalem earum utilitatem evacuans. Quæ enim in divinis legibus dignitas, quæ Sanctitas, ſi per Sacrilegos actus illis ſatisfieri poſſit? Quam ſpiritalem utilitatem adferunt ſi non præcipiant actus veræ virtutis & pietatis? Si per actus deſtruentes ſpiritalem animæ ſalutem illis ſatisfieri poſſit?

99. Non majori reverentiâ tractant Sacramenta Eccleſiæ, quæ meritò S. Auguſtinus *Sacroſancta Signacula* vocat. Quamvis enim communis hactenus Scholaſticorum ac SS. Patrum indubitata fuerit doctrina, non ſolum Charitatis, ſed & Religionis læſæ reum eſſe, qui Sacroſancta illa Signacula tractat irreverenter, tamen & illam ſuis probabilitatibus conantur evertere: cùm non deſint ex Adverſariis qui licitum aſſerant etiam in conferendis Sacramentis extra caſum neceſſitatis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiori. Quæ autem major irreverentia

Sa-

Sacramentis irrogari poteſt; quam illa exponere periculo nullitatis; quod fieret, ſi illa Adverſariorum doctrina in praxim redigeretur? Cùm enim valor & efficacia Sacramentorum dependeat à voluntate Chriſti inſtituentis, non poterit probabilitas illud validum efficere, ſi à voluntate Chriſti inſtituentis diſcordet; adeoque non poterit excuſare probabilitas, ſi deſit Veritas.

Sententiam ſupradictam tradit R. P. Maillot in Theſibus ſæpè citatis Theſi 15. ubi ait: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententiâ tantum probabili utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.* Per quæ ultima verba tacitè inſinuat in reliquis Sacramentis v. g. Euchariſtiâ, pænitentiâ, ſententia tantùm probabili licitè aliquem uti poſſe. Valde aliena, Sanctiſſime Pater hæc ſunt à Sanctorum Patrum doctrinâ; neque videmus quomodò conferentes taliter Sacramenta non cenſeantur illa virtualiter contemnere. Quilibet enim judicabit illum rem magni momenti contemnere, qui illa ſine juſta cauſa exponit periculo amittendi & annullandi. Talis autem res maximi mo-

momenti ſine juſta cauſa periculo nullitatis exponit, ut ex dictis liquet. Quale autem ſit peccatum contemptu habère Sacramenta, inſinuat S. Auguſt. contra Fauſtum lib. 19. cap. 11. *Sacramentorum vis* inquit *inenarrabiliter valet plurimum & ideò contempta Sacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas.*

Doctrinam hanc Paradoxam omninò, neceſſariò omnes Adverſarii tenêre debent, ut ſervent alia ſuæ Moralis Theologiæ dogmata, & in primis famoſum illud de ſufficientia attritionis merè ſervilis cum Sacramento Pęnitentię ad Juſtificationem. Illa enim ad ſummum tantum eſt materia probabilis, ſed minùs tuta, Sacramenti Pænitentiæ; cùm contraria Sententia videatur in Scriptura, Conciliis, SS. Patribus ac ratione fundata. Contrà verò Adverſariorum in nullo hactenus Concilio definita eſt, neque ullâ SS. Patrum clarâ auctoritate munita. Judicavit quidem tuæ Sanctitatis Prædeceſſor Alexander VII. piæ memoriæ Adverſariorum doctrinam HODIE eſſe *communiorem.* Verum per illa verba non inſinuavit illam ſententiam eſſe veram, multò minus practicandam; cùm certum ſit aliquas ſententias, quæ hodie in ſcholis communius ſuſtinentur, poſſe eſſe falſas. Addidit autem expreſsè & emphaticè

ticè particulam, HODIE, quia tantum abeſt ut illa ſententia antiquitus fuerit communior, ut ne quidem SS. Patribus cognita fuerit. Quorum hic fuit cum S. Auguſtino Serm. 7. de temp. concors & unanimis ſenſus: *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei.*

Judicabit Tua Sanctitas quantam veriſimilitudinem hæc doctrina habeat, quæ præcedenti paradoxæ ſententiæ quo-ad veritatem innititur. Si enim non liceat ſequi ſententiam tantum probabilem relictâ tutiori in conferendis Sacramentis, quomodò beneficium Abſolutionis taliter attrito Sacerdos poteſt impendere?

100. Petunt igitur, Sanctiſſime Pater, Pii Fideles à Te, Sacramentorum ſummo pro Chriſto adminiſtro, an tuta ſit pro praxi doctrina, quæ docet licitum eſſe in conferendis Sacramentis uti opinione probabili tantum, relictâ tutiori? Si Tu id judicaveris, facilè illi praxi facili ſeſe accommodare poterunt fideles.

Cauſam dubitandi præbent illa SS. Patrum ac Prædeceſſorum Tuorum axiomata: *Tene certum, dimitte incertum. In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Quæ ſi ullibi, hîc certè locum habent, ut ex communi uſu Eccleſiæ, piorum perſuaſione, & Sanctorum Patrum doctrinâ conſtat. Uti enim

habet

habet Sanctorum Patrum Coryphæus, S. Auguſtinus l. 1. de Baptiſmo cap. 3. de hac materia loquens: *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo,* QUOD CERTIS INCERTA PRÆPONERET. Et cap. 5. *Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum; quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?*

101. Petunt ſecundò an ſatis limitata ſit laxitas, ſi reſtringatur illa ſententia ad caſum, in quo ſuſcipiens Sacramentum in hoc conſentit, quod ſibi conferatur Sacramentum in materia tantum probabili, relictâ tutiori.

Cauſa dubitandi eſt, quod, licet ſuſcipiens Sacramentum poſſet cedere ſuo juri, quod habet ad hoc ut ipſi conferatur Sacramentum certum, tamen cedere non poſſit juri, quod habet Deus, ne Sacramentis inferatur injuria: quæ injuria non abſtergitur per ceſſionem juris ipſius ſuſcipientis.

102. Petunt tertiò. An ſatis momenti ad juſtificationem & ſalutem habeat illa Attritio merè ſervilis cum Sacramento, & an ſatis digna ſit, cui bilances æternæ ſalutis confidamus.

Cauſam dubitandi præbent ſupracitata Sancti Auguſtini verba: *Pœnitentiam certam*

tam non facit, niſi odium peccati & amor Dei. Dubitationem augent illa Divini verbi Oracula: Qui non diligit, manet *in morte.* Et: *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et 1. cor. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſit anathema.*

Nos ergò, niſi aliud juſſerit ſua Sanctitas, communiſſimam Theologorum Scholaſticorum ſententiam ac tritam Sanctorum Patrum Doctrinam tenebimus, ut in adminiſtratione Sacramentorum non liceat uti incertâ materiâ, ſi certa obtineri poteſt; ſecus verò ſi non poteſt. Contrariam verò tamquam novam, & eo ipſo de veritate ſuſpectam, ſi non de falſitate convictam reprobamus, illique reſiſtimus, ſcientes illud S. Vincentii Lerin. cap. 9. *Mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut quo quiſque floreret religioſior, eo promptiùs novellis adinventionibus contrairet.*

103. Licet autem circa quodlibet in particulari Sacramentum varias excogitaverint laxitates, circa nullum tamen tot adinvenerunt, quot circa Sacramentum Pœnitentiæ; verùm cùm latè alii id oſtenderint, & nuper id prçſtiterit R. P. Ægidius Gabriëlis in Theſibus ad tuam Sanctitatem directis, latè illa oſtendere nolo, tantummodò unam aut alteram hîc proferam.

Pri-

Primò ergò Filiutius tom. 1. mor. q.q. tract. 7. cap. 6. aſſerit: *Probabile eſt ad valorem Sacramenii dolorem exiſtimatum ſufficere modo oriatur ex ignorantia inculpabili.* Quaſi vero bona Fides vel ignorantia poſſit ſupplêre defectum partis eſſentialis Sacramenti. Quid ſi & ſacerdos ex ignorantia inculpabili putaret ſe protuliſſe verba formæ quæ revera non protulit? dicemus ne fundatè ignorantiam ſupplêre defectum Abſolutionis? Omninò ſi poſſet ſupplêre defectum doloris. Sed hęc aliena ſunt à ſenſu Eccleſiæ, aliàs validè baptiſatum dicere deberemus ſi baptiſans ex ignorantia inculpabili omiſiſſet verba formæ.

104. Secundò idem Author ibidem aſſerit *probabiliorem videri ſententiam quæ aſſerit ſufficere ad valorem hujus Sacramenti dolorem naturalem, putatum ſupernaturalem.* Cum tamen varia Concilia tamquam dogma Fidei expreſsè definiverint hominem viribus naturæ non poſſe de peccatis pænitère prout oportet ad juſtificationis gratiam obtinendam, quod falſum eſſet ſi prędicta Sententia vera foret; dolor enim ille naturalis putatus ſupernaturalis, viribus naturæ elicitur.

105. Tertiò communis Adverſariorum doctrina eſt *quod nullus teneatur occaſionem proximam peccati vitare ob detrimentum tem-*

porale notabile, licet ſæpiſſime expertus ſit ſe continuo in iſta ſuccumbere; *cùm tamen* ècontrà prima veritas expreſsè aſſerat Matth. 5. *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & projice abs te. . . . Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te abſcide eam & projice abs te.* Quibus verbis Salvator noſter inſinuat rem tam conjunctam, tam charam utilem ac neceſſariam, ut ſunt oculus dexter & manus dextra relinqui & deſeri debere ſi peccandi occaſionem nobis prębent. Quam contrarium hoc Evangelii Oraculum ſenſui illorum Caſuiſtarum!

106. Quartò unanimis Adverſariorum ſenſus eſt *Confeſſarium jus non habere ad interrogandum de conſuetudine peccandi; & ſi id faciat, excedere limites fori ſui & tribunalis.* Nonnè Confeſſarius poteſt & debet illa interrogare, quorum notitia ipſi eſt neceſſaria ad debitè fungendum ſuo officio? Inter quæ indubiè eſt notitia conſuetudinis peccandi; ſæpè enim ob conſuetudinem peccandi debet pœnitenti denegare Abſolutionem, quam aliàs impertiiſſet: alia remedia conſuetudinario pręſcribere debet quam peccatori qui peccandi conſuetudine non laborat; aliam denique pœnitentiam illi imponere debet.

Omitto illas ſententias quæ aſſerunt in praxi numquam aut rariſſimè denegandam

Abſo-

Digitized by Google

Abſolutionem ob Doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam; propter recidivum numquam denegandum Abſolutionis beneficium, modo aſſerat ſe dolere & emendationem proponere &c de illis enim alii.

107. Poſt tot inflicta conſcientiæ vulnera, etiam quantùm in ipſis eſt, vim medelæ & remedii auferunt, ſtatuentes confeſſarium, cujus eſt ex jure divino de qualitate ac gravitate criminum judicare & proportionatas injungere pœnitentias, debêre ſeſe in omnibus conformare pœnitentium opinioni, modo hi procedant juxta opinionem aliquam probabilem, licet ſit minùs probabilis & minùs tuta, quantumvis etiam confeſſario planè falſa eſſe videatur. Hinc in ſupracitatis Theſibus Patris Maillot Societatis Jeſu Theſi decimâ tertiâ cum communi Adverſariorum doctrinâ aſſeritur: *Non ſolum contra propriam opinionem poteſt confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui adhæret opinioni probabili, ſed & debet confeſſione poſitâ, & quidem probabilius ſemper ſub mortali.* Sicque ordine inverſo judicem reo, medicum infirmo, doctorem diſcipulo ſubjiciunt.

Quo hæc vergunt Sanctiſſime Pater niſi ad excuſandas excuſationes in peccatis? Omninò planè per hoc efficiunt quod SS. Patres conqueſti ſunt, *ne ægris proficiat medela*

dela vera, dum blandimentis noxiis decipit turpis illecebra.

Ad quid Eccleſia ita ſollicita eſt ut doctos habeat confeſſarios, ſi hi non ſecundum propriam, ſed pœnitentium doctrinam procedere deberent? Sufficeret Adverſariis quod ſciant opiniones eſſe probabiles; cùm illas prudenter ſequi poſſint, & ſæpè teneantur. Ad quid ergò ſtudent ut quid de rei veritate ſit, ſciant? Si ſic procedi poſſit, immeritò judicarunt SS. PP. quod *Ars artium ſit regimen animarum.*

Ex hiſce omnibus facile hauriri poteſt, quis ſit generalis ſcopus Doctrinæ de Probabilitatibus, prout ab adverſariis traditur, nempè efficere ut homines vivant non ſicut oportet, ſed ſicuti volunt, eludendo per probabilitates præcepta, quibus reſtringitur noxia humana libertas. Illum verò ſcopum Pii Chriſti Fideles horrent ut ſcopulum, ad quem multi naufragium in æternum paſſi ſunt.

108. Ecce, Sanctiſſime Pater, non cathalogum omnium, ſed tantummodò ſpecimen aut manipulum aliquarum laxitatum Adverſariorum: quorum hæc eſt communis doctrina, & unanimis praxis. Quamvis autem fortè ex illis non deſint, qui aliquam ex ſupradictis propoſitionibus non adſtruunt, ſed negant, immò & ſpeculativè

tivè probabilem non habent, eo tamen non obſtante indirectè illam adſtruunt, in quantum docent in praxi licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem, etiam contra propriam ſententiam, ſeu quamlibet ſententiam probabilem in praxi tutam. Undè & pro re nata mutuas ſequuntur ſententias, quamvis ſpeculativè contrarias doceant. Hinc & in ordine ad praxim morali æſtimatione perindè ipſis eſt, ſive dicant ſententiam aliquam eſſe probabilem, ſive dicant ſententiam aliquam eſſe veram, ſive in praxi ſecuram: cùm juxtà ipſorum generalia principia quilibet quamlibet ex ipſis indifferenter ſecurè & licitè in praxi ſequi poſſit.

109. Ex hiſce tamquam ex ungue Leonem quilibet, qui præjudiciis non preoccupatur, facile colligere poteſt quantæ authoritatis, quantæ utilitatis ſit eorum Theologia Moralis; quantæ ſit authoritatis ex eo liquet quod fundamentum ejus precipuum ſit probabilitas planè incertum utpote nec à Scriptura, nec à Patribus, nec à Concilio, nec denique ab Eccleſia approbatum, imò potiùs ab omnibus illis reprobatum; quis autem niſi ſalutis ſuæ planè incurius tam incertæ rei ſalutem ſuam confidere vellet ſeu auderet? Quantæ ſit utilitatis ex eo patet quod adinventa illâ pro-

Digitized by Google

probabilitate ceſſaverit ſimplicitas illa primorum Chriſtianorum eorumque primæva charitas refriguerit, parva enim aut nulla adeſt erga Deum Charitas, ubi tam exacte Creatura cum Deo computat dicendo hoc non teneor facere, ad illud non obligor &c. denique quærit viam eludendi divinam voluntatem, undè meritò quidam probabilitatem vocat artem cavillandi cum Deo. Secundo quod illâ repertâ flacceſſerit ſtudium orationis & zelus quærendi veritatem, ad quid enim adhiberetur labor pertingendi ad veritatem, ſi ſola probabilitas cognita pro praxi ſecura ſufficiat? Tertiò quod teſte Cardinale Bona vivant jam homines non ſicut oportet ſed ſicuti volunt, quia fere licet jam quidquid lubet. Vide veriſſime Cleri Gallicani conventus anni 1656. in Epiſtola decretis S. Caroli juſſu ſuo editis præfixa, de recentioribus Caſuiſtis loquens: *Novitiæ*, inquit, *illæ opiniones ita chriſtianam morum diſciplinam, & Evangelicam vivendi normam adulterarunt, ut hujusmodi ſcientia quavis ignorantia longe ſit potior.*

110. Hinc jure merito Fideles ab illa retrahere nitimur, neque labor noſter inanis eſt, experimur enim magno animarum lucro quotidiè plures & plures non tantum ex clero ſed & ex ſæcularibus ſe noſtræ conformare doctrinæ & repudiare contrariam,

riam, ejuſque praxim exoſam habere. Imò & in ipſis nobis Adverſariis hoc ipſis teſtibus effecit ut jam Confeſſarii fiant circumſpectiores & non tantâ facilitate abſolutionis beneficium impendant. Hinc & contingit ut qui contrariam noſtræ doctrinam propugnant & practicant, jam erubeſcant propriam doctrinam ac praxim: undè & libris, quos prelo tradunt, de illa materia vel nullum nomen præfigunt, ut nuper contigit in libro intitulato, *praxis ſolida*, vel fictum nomen, ut ſunt *Franciſci Simonis*, *Franciſci Caroli Reymackers*, *Ludoiſcii Bona &c.* Si veritatem ament eamque propugnare intendant cur nomen ſuum erubeſcunt? Glorioſum enim eſt defendere veritatem, honorificum pro veritate pati. At à quibus ſibi timent? Si tota plebs Belgica noſtræ adverſetur doctrinæ ejuſque condemnationem expoſtulet ut hic fingit fictitius Franciſcus Simonis, quem timere poſſunt aut debent? non niſi illos quos in ſuo libello aggreditur, at ſi illi tam pauci ſint & nulla authoritate polleant juſti timoris fundamentum illi præbere adverſarii poſſunt? Timendum profecto ne in ipſis locum habeat illud commune dictum: *qui odit veritatem odit lucem*; attamen nihil ita abſconditum quin reveletur; ſicuti, laus Deo, toti mundo jam patere incipiunt

piunt falſa dogmata ac calumniæ , quæ Adverſaria pars affingit ſanæ doctrinæ defenſoribus, ut ſive per fas ſive per nefas veritatem opprimant; ſicque effectum eſt ut qui per illa Adverſariis ſuis omnem detrahere authoritatem putarunt, majorem illis conciliaverint, ſibimetipſis verò omnem ademerint, juſto Dei judicio juſte patientes pœnam quam injuſte aliis infligere tentabant. Speramus Sanctiſſime Pater ut te Innocentium fautorem ac defenſorem oſtendes, per hoc enim & in illis incrementum magnum accipiet eorum pro defendenda veritate Zelus, confirmabuntur Pii Fideles eorumdem directionem ſequentes, & ſenſim magis ac magis Adverſarii deſiſtent ab impugnanda ſanà doctrina in eccleſia ſummopere neceſſaria , cujus cura tibi à Chriſto unice commiſſa eſt.

III. His conſideratis judicabit tua Sanctitas quinam meritò reprehenſionem mereantur: An nos propter nimium (ut Adverſarii prætendunt) rigorem; an Adverſarii propter nimiam (ut nos prætendimus) eorum laxitatem? Si judicaverit tua Sanctitas nos in rigore excedere , facilè illum mitigabimus & libenter condeſcendemus fragilitati & infirmitati humanæ , non enim nos alioſvè gravare intendimus præceptis, ſi nos non aſtringi illis judicaveris; ſatis

ſatis auguſta eſt porta & arcta via quæ ducit ad cælum, quæ, ſicuti probabilitatum adinventione dilatari nequit ita nec anguſtari debet. Verùm indubiè prȩſtat parum rigidum quam nimis laxum eſſe, cum ab illo rigore ſatis multum adhuc declinabitur ubi ad praxim venietur; 2. quia natura noſtra lapſa cum ad omnia vitia proclivis ſit, indiget fræno ad comprimendas indomitas ejus concupiſcentias; non impulſu, ad illas ſovendas.

112. Scimus quidem illud Bonaventuræ: *Cavenda eſt conſcientia nimis larga & nimis ſtricta. Nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem: item prima ſæpe dicit malum bonum, ſecunda contra bonum malum. Item prima ſæpe ſalvat damnandum, ſecunda contra damnat ſalvandum.* Attamen & comperto habemus doctrinam illam, quam jam nimis ſtrictam clamitant, tunc temporis tamquam nimis largam fuiſſe ab eodem S. Bonaventura habitam. Non enim ſe nimis ſtrictum reputavit Bonaventura, licèt docuerit hominem ſtatim à peccato mortali commiſſo obligari ad confeſſionem Sacramentalem. 2. licèt aſſȩruerit, nullam dari juris naturæ invincibilem ignorantiam, licèt non cognoverit omnes illas probabilitates, quas, teſte Caramuȩle ſolus adinvenit Diana, quas excogitavit

Cara-

Digitized by Google

Caramuël ; qui aperte profitetur ſeſe ad hoc ſtudioſe laborare ut multarum ſententiarum probabilitates introducendo, plurima faciat hominibus licita, quæ hactenus æſtimantur eſſe peccata, quas denique affinxerunt Leſſius, Sancius, Tamburinus & alii ac nuperrime P. Eſtrix cum ſuis.

Si parum ardua, parum difficilis corruptæ naturæ videatur doctrina noſtra, cogitare debemus illa primæ veritatis oracula: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quam anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam!* Non parva ergo violentia corruptæ noſtræ naturæ inferenda eſt ut per illam arctam viam & anguſtam portam ingredi poſſit; quam tamen viam cum Regio propheta curret cum per amorem Deus dilataverit cor hominis, ut enim ait Cardinalis Bona in princip. Vitæ Chriſtianæ p. 2, §. 46. *Qui amat, propenſo animo & ſummâ jucunditate, illi, quem amat, in omnibus obſequitur, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ: & ſi quid gravè vel durum ſenſibus illi præcipitur, hoc amor leviſſimum, & gratiſſimum reddit. Nec aliam ob cauſam ſcriptura teſtatur* 1. Io. 5. 3. *præcepta Domini gravia non eſſe, niſi ut anima, cui gravia videntur, intelligat ſe nondum perfectè amare, & à Deo gratiam petat, quâ levia & ſuavia fiant. Laborant in cuſtodiendis Dei præceptis, qui ſolo timore,*

timore, quæ juſta ſunt operantur: ſed perfecta Charitas foras mittit timorem 1. Io. 4. 18. & levem facit ſarcinam legis non ſolum non prementem, ſed inſtar pennarum in excelſa ſublevantem.

113. Non nos ſed Adverſarii, ubi fragilitati & infirmitati humanæ condeſcendere volunt viam difficilem & penè impoſſibilem efficiunt, cùm enim inter cætera præcepta,quæ per probabilitatem eludunt, etiam auferant præceptum dilectionis neceſſariæ ad omnia opera noſtra: quid aliud efficiunt quam præſcindere alas avibus ut facilius volent, ſine quibus tamen ipſis impoſſibile eſt volare? Leges enim Dei, quæ teſte Auguſtino leves ſunt amori, graves ſunt Timori,. Charitas efficit leges non eſſe pondus onerati, ſed alæ volaturo. Nam ut ait Bernardus Serm. 14. in cœna Domini: *Nulla ibi apparet difficultas, ubi eſt Charitas: nullus ibi labor eſt, ubi verus amor eſt.... Quid levius, quid ſuavius, quidvè dulcius quam diligere? Hoc poteſt omnis homo, ſanus & æger, dives & pauper, ſtultus & ſapiens, nobilis & ignobilis, ſervus & liber. Nemo ſe excuſet nemo in hac parte apologizet. Cuilibet homini eſt poſsibilitas iſta communis, amare videlicet.*

114. Ut autem huic tractatulo finem imponam proteſtor hic coram tuâ ſancti-

tate:

tate: *Veritatem dico, non mentior* (ut cum Bernardo loquar Epiſtola 164. ad Innocentium) *nihil à me hic dictum perſonæ odio, ſed ſolo veritatis amore veraciter omnia poſita teſte ipsâ veritate.* Undè tanto majori confidentia accedimus ad tuam Sanctitatem quanto majori veritatis amore ducimur; adeoque ut cum S. Bernardo Epiſtola 180. finiam: *Iterùm ſupplicatio, iterùm preces & decies repetitæ non deſinent. Non deſiſtimus quia non diffidimus. Bonam cauſam habemus & æquum Iudicem, qui non cunctabitur evacuare, quod verum eſt, nec poterit indè ridere qui voluit irridere: ſed, ut ſcriptum eſt, mentita eſt iniquitas ſibi. Hæc ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à ſe forte deprehenderit fraude illicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna ut de mendacio nemo lucretur, præſertim apud ſanctam & ſummam Sedem. Hæc ſciens puer veſter ſecurus ſupplicat.* Ut pro veſtra ſingulari prudentia poteſtate tibi à Deo commiſſa uti digneris, noſque aut innocentes declarare, ſi doctrinas noſtras approbes, aut nocentes, ſi illas rejicias, ſtabimus veſtro judicio, cui & noſtrum in omnibus ſubjiciemus, cùm ſciamus veſtrum ſpeciali primæ veritatis aſſiſtentia dirigi. Interim Deum optimum maximum rogamus ut Sanctitatem tuam diu Eccleſiæ ſuæ adhuc incolumem ſervet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Nota ad Cenſuras Libelli.

115. QUantùm ad Cenſores Libelli Franciſci Simonis, cùm ſecundùm Apoſtolum non tantùm peccent perpetrantes malum, ſed & illi conſentientes, etiam & illi meritò reprehenſione digni ſunt, & imprimis Sanctitati Tuæ judicandum relinquimus, an illa Cenſura Facultatis Theologicæ Moguntinæ, cui Carolus Breunius illius Facultatis decanus ſubſcripſit, non ſit nimis enormis, limiteſque Charitatis & juſtitiæ non excedat? Si foret data contra notorios Hereticos, tranſire poſſet, cùm juxta Apoſtolum increpandi ſint durè ut ſani ſint: at contra ejuſdem Eccleſiæ Catholicæ Filios, quales nos exiſtimamus, utpote qui in omnibus nos Eccleſiæ judicio ſubmittimus, nec apud ſuperiores, Epiſcopos &c, umquam de fide ſuſpecti fuimus aut accuſati, talem dare, hoc nec Chriſtiana Charitas nec ſinceritas permittunt, nec video quomodò à gravi peccato & reſtitutione honoris excuſari poſſint, niſi forte per invincibilem ignorantiam, quæ in Cenſoribus vix locum habet: vel enim legit D. Breunius libros noſtros à Fran-

Digitized by Google

ciſco Simonis in illo libro accuſatos, vel non? Si non legerit (ut certò puto) an non temerarium eſt Hæreſis, blaſphemiæ &c. illos accuſare merè ex hominis paſſionati fide & relatione? Si legerit, ergò benè vidit multa falſa dogmata illis à Franciſco Simonis affingi; ſi vidit, quâ conſcientiâ dixit in Cenſura: *Quod libelli Auctor ſingulari Fidei charitatiſq; zelo ſuccenſus modeſtè & catholicè, è quibus monſtroſa dogmata prodierunt, lacunis demonſtret?* Hæccine eſt ſincera Fides, falſis calumniis alios adoriri? Hęccine eſt ſincera Charitas innocentium famæ & Aucthoritati detrahere? Hæccine eſt catholica modeſtia obedientibus Eccleſiæ Filiis notam hereſis, blaſphemiæ affingere? Quâ Fide, quâ Charitate, quâ Catholicâ modeſtiâ dixit: *quod ſpiritus olim edixit doctori gentium Paulo*, IN NOVISSIMIS *inquiens* 1. *Timoth.* 4. TEMPORIBUS DISCEDENT QUIDAM A FIDE ATTENDENTES SPIRITIBUS ERRORIS, ET DOCTRINIS DEMONIORUM IN HYPOCRISI LOQUENTIUM MENDACIUM, ET CAUTERIATAM HABENTIUM SUAM CONSCIENTIAM, *id hodiernum luculenter experimur in Novaturientibus illis qui Calvini, Ianſenii, Baii, aliorumq; plurium officinam Hæreſibus, errori-*

erroribus , ſcandalis , imò & non paucis in Deum blaſphemiis deſtructiſſimam repetito ſtudio reliquis cum exuviis ſibi arrogantes perniciosa illa 25. hocce in opuſculo relata, & jam pridem Æcumenicorum Conciliorum decretis , ſummorum Pontificum oraculis damnata dogmata novâ fuligine tinctâ ex orco reproduxerunt. Hos ſanè ſi S. Matri Eccleſiæ objicias inobedientes, ſi doctores capias vaniloquos, ſi ductores gregis ambias reperies SEDUCTORES, *quos ut idem ait Apoſtolus ad Titum* 1. OPORTET REDARGUI QUI UNIVERSAS DOMOS SUBVERTUNT DOCENTES QUÆ NON OPORTET.

Si legerit & id non viderit talpâ cæcior fuit & in luce meridiana caligavit, cùm ſatis evidenter in illa expreſſa ſint dogmata contraria illis quæ ipſis affingit Franciſcus Simonis. Vel lince oculatior fuit, utpote qui in illis legit dogmata, quæ alios viros doctos ſine præjudiciis libros diſcutientes latent.

116. Verum ut iſtum injuſtum Cenſorem parum premamus, ſi forte ad ſaniorem mentem reducamus, peto ab ipſo quâ auchoritate nos denuntiet hæreticos, quos Epiſcopi ac Superiores hactenus agnovêre & agnoſcunt Catholicos. Nimiæ hoc præſumptionis & arrogantiæ judicium eſt, &

 quo-

Digitized by Google

quodammodò ſibi uſurpare Apoſtolicæ Sedis Auctoritatem, cujus hoc munus eſt. Deindè recogitet, an non graviſſima fiat injuria ejuſdem Eccleſiæ membris, quando illa verba, quæ Apoſtolus peſſimis adaptat hęreticis, in illos fulminat ubi, in quibus capitibus, quando, diſceſſimus *à Fide*? Certe, ut ex ſupradictis liquet, nos pluſquam Adverſarii fidei neceſſitatem adſtruimus, ejus certitudinem & exercitium inculcamus. Qualis autem apparentiæ eſt quod attendamus *ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum, in Hypocriſi loquentium mendacium*, cùm noſter ſcopus ſit fidelium mores conformare maximis Evangelii, Doctrinæ & exemplis Chriſti, Fideles reducere à lata via perditionis, ad quam per laxas Adverſariorum doctrinas devenerant; ad arctam viam, quæ ducit ad cœlum? Illæne ſunt *Dæmoniorum doctrinæ ſpiritus erroris*? verè ſi res non præjudicio conſuetudinis, ſed judicio veritatis examinetur, meliùs illa verba Adverſariis adaptari poſſent, quorum laxę ac Paradoxæ in moralibus doctrinæ (cum nec à Chriſto nec à Patribus fuerint traditæ) à quibus ſunt adinventæ, relinquimus hoc illorum judicio, quorum eſt determinare. Hoccine eſt *in Hypocriſi loqui mendacium*, mendacia veritatis titulo fucata (ut ſunt reſtrictiones men-

mentales) extirpare ? quantum ad *cauteriatam conſcientiam*, quandoquidem conſcientia noſtra ſoli Deo nota ſit, temerariè de illa judicat injuſtus Cenſor: tales ſumus quales ſumus in oculis Dei & cum Auguſtino dicimus: ſenti de nobis quod lubet, dummodo nos conſcientia noſtra non accuſet. Multos condemnarunt homines, quos divina excuſat Juſtitia. Mala accuſatio non accuſato ſed accuſatori nocet. Et ut quidam patrum ait: Nemo alienâ conſcientiâ miſer eſt ſed ſuâ: ideóque verè miſeri eſſe non poſſunt, qui verè ſunt ſuâ conſcientiâ beati. Verum cùm *Dominus Breunius* ſubjiciat ſe *luculenter experiri* citata Apoſtoli verba verificari in Novaturientibus illis qui Calvini, Janſenii, Baii, aliorumque plurium Hæreſes, & in Deum blaſphemias ſibi arrogant, poſſemus illam Cenſuram, tamquam ad nos non pertinentem, rejicere, cum non niſi præjudiciis præoccupatus, vel paſſionatus animus horribilem illam calumniam nobis affricare poſſit, quia ſatis evidenter conſtat nos procul diſtare à doctrinis in Calvino, Janſenio, Baio condemnatis. Attamen cum ex Cenſura ſufficienter pateat illum per *Novaturientes illos* nos intelligere ac taxare, petimus humiliter ut luculentam illam experientiam mundo

Digitized by Google

manifeſtet, & fidelius, ſincerius, ac modeſtius id præſtet; quam id præſtitit Franciſcus Simonis. Vel unicam tantum in Calvino, Janſenio, Baio aut alio condemnatam Hæreſim, aut in Deum blaſphemiam in libris noſtris oſtendat. Parum indubiè exigimus, quod facillimè præſtare poterit ſi (ut aſſerit) luculenter id experiatur; nobiſque rem deſideratiſſimam ac utilem præſtabit. Cùm enim nil niſi veritatem noſtris lucubrationibus quæramus, libenter victas manus dabimus, ſi oſtendatur nos errare: teſte enim Auguſtino nil glorioſius quam vinci à veritate. Perinde nobis eſt ſivè noſtris ſivè Adverſariorum laboribus veritas triumphet. Si autem id præſtare non poſſit, neceſſe eſt ut peſſimam illam Hæreſis & blaſphemiæ maculam in nobis deleat, & notam Calumniatoris ſibi inurat. Verùm quia labi humanum eſt & nihil humanum à me alienum puto, ſi contingeret nos ut homines errare, an ideo tam acrem & duram mereremur Cenſuram? Prorſus non, nam cum Auguſtino dico: *errare poſſum, Hæreticus non ero:* in omnibus enim ſemper nos ſubjecimus infallabili Eccleſiæ Judicio, quæ hactenus nullam malam notam nobis inuſſit.

117. Ut autem ad Cenſuram redeamus, imme-

immeritò nos *novaturientes* vocari ex ſupradictis fit manifeſtum, ubi & latius oſtendimus novaturientium nomen meritò Adverſariis imponi poſſe, qui tantò jure ſibi arrogant Antiquitatis prærogativam quanto hæretici Catholiciſmi; quam omni modò ſuæ Eccleſiæ arripere & Romanæ adimere ſtudent; at utrique æque infundatè procedunt, & fruſtra laborant; Si enim ſua dogmata in Antiquitate fundata aſſerant; undè contingit quod cum in ipſorum Theologiâ morali ſæpius Ariſtotelis auctoritatem allegent, recentiorum teſtimonia congerant, vix aut rariſſimè aliquem ex SS. Patribus in doctrinæ ſuæ confirmationem adducant? Ne autem omninò videantur omni SS. Patrum auctoritate, quam ſemper magni fecit Eccleſia, prorſus deſtitui, nonnumquam quidem aliquem detruncatum & obſcurum locum allegant, omiſſis clarioribus, quæ inverſo planè ordine per obſcura interpretari conantur, in eo imitantes hæreticos; de quibus ait S. Vincentius Lerinenſis cap. 11. *Captant plerumque veteris cujuſpiam viri ſcripta paulô involutis edita, quæ pro ipsâ ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant: ut illud, neſcio quid, quodcumque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico &c.*

118. Undè etiam patet immeritò D. Voluſium in cenſura hujus libelli aſſerere Canam ac ſanam Orthodoxæ Eccleſiæ doctrinam ac praxim in hoc libello contineri; cùm potiùs ècontrà illa indè non modò exulet, verum etiam impugnetur. Si autem alicubi adſtruat antiquam Eccleſiæ doctrinam, id fit in illis dogmatibus quæ & cum Adverſario indubitanter docemus, & quorum contraria doctrina nobis affingitur.

Subjicit poſt hæc Cenſura Factionem 25. illa dogmata in hoc Opuſculo relata ex Orco reproduxiſſe. Verum in eo graviter Cenſores decepti ſunt vel decipiunt alios, cùm ex noſtris Juſtificationibus clariſſime contrarium pateat. Fateor non ita reprehenſione digni ſunt Cenſores ac Author libelli: cùm enim ſit quæſtio facti, quid nos doceamus, facilè in eo falli poſſunt Cenſores, nam ſupponere potuerint Authorem libelli fideliter extraxiſſe illa dogmata ex libris accuſatis, non enim Cenſores ſemper poſſunt aut debent legere libros contra quos agunt libri quos approbant. At, niſi certò conſtaret, talia verè doceri ab Authoribus quorum libri impugnantur, tam duræ Cenſuræ dari non deberent, quia aliàs periculum eſt ne innocentes injuſtè condemnentur, non enim ſemel

mel tantum contigit quod quis vel ex paſſione vel ignorantia vel malitia injuſtè accuſetur. Si illa 25. dogmata docuiſſemus jure merito talis contra nos lata foret Cenſura, cum pleraque ex illis dogmatibus vel ſint heretica, vel proximè ad hæreſim accedant, utpote jam pridem Oecumenicorum Conciliorum Decretis, Summorum Pontificum Oraculis damnata ut benè Cenſura notat; undè & nullam injuriam nobis feciſſet ſi inobedientes, ſi vaniloquos, ſi ſeductores nos dixiſſet. At cùm longè ab illis doctrinis ac dogmatibus alieni ſumus, ſumma nobis irrogatur injuria tam durâ, acerbâ ac immeritâ Cenſurâ; Speramus quod Cenſores melius informati aliud etiam judicium de noſtra doctrina formabunt, noſque innocentes declarabunt quos tantorum criminum reos (forte ex ignorantia) declararunt.

119. Quoad Approbationem D. Voluſii graviter etiam exorbitat 1. quia aſſerit quod per libellum Franciſci Simonis S. Sedes Apoſtolica abundè informari poſſit de novis & pernicioſis erroribus Janſeniſtarum circa Sacramentum Pœnitentiæ, cùm enim pleraque ſint falſa quæ affingit illis quos accuſat, quomodò ex illo libello S. Sedes poteſt bene informari? Si enim in judicio ſeculari nullam mereatur fidem,

imò

imò totum ſuſpectum ſit inſtrumentum contra reum confectum, ſi vel minus mendacii & falſitatis arguatur & convincatur, qualem fidem apud Judicem Eccleſiaſticum merebitur libellus qui tot mendaciorum arguitur ac convincitur? Undè ècontrà S. Sedes Apoſtolica per hunc libellum abundè poteſt informari de pernicioſis Adverſariorum procedendi modis ad opprimendos innocentes & oppugnandam canam ac ſanam Orthodoxæ Eccleſiæ doctrinam. Juſto enim Dei judicio non ſemel contigit ut qui innocentes opprimere conantur luant pœnam talionis, & ipſa innocentium oppreſſio & accuſatio vergat in detrimentum & perniciem accuſantis. Adeoque ſperamus S. P. ut adjuvante divinâ gratiâ rem hanc maturius diſcutias; non dubitamus quin noſtra innocentia, Adverſariorumque calumnia clarè patebit. Ita certò de veritate doctrinæ noſtræ ac ſecuritate noſtrâ procedendi confidimus ut non timeamus ne cauſa noſtra ſuccumbat coram incorrupto Judice ut Sanctitatem tuam novimus.

120. Secundò cùm aſſerat quod S. Sedes informari poſſit de Janſeniſtarum erroribus, clarè ſupponit & inſinuat illos, quos libellus accuſat, eſſe *Ianſeniſtas*. Ubi ſi per Janſeniſtas intelligat illos qui aliquam ex

quinque

quinque famoſis propoſitionibus à variis Pontificibus in Janſenio damnatis docet; indubiè magnam nobis irrogat injuriam, cùm libentiſſimè fateamur quinque illas propoſitiones eſſe verè hæreticas & ab Ecclesiæ ſenſu alienas, undè & nullam illarum umquam docuimus. Si vero per Janſeniſtas intelligat illos qui docent aliquas ſententias quas & Janſenius docuit, quæ tamen in ipſo non ſunt proſcriptæ, non eſt cur magis nobis odioſum illud Janſeniſtæ nomen affingat quam ſibi ipſi & Adverſariis, quia & ipſemet cum Adverſariis multa docet quæ & Janſenius docuit. Verum cùm ſufficienter conſtet non hoc ſed priori ſenſu illum nos vocare Janſeniſtas, quomodò à calumnia aperta & obligatione reſtituendi honorem noſtrum læſum excuſetur;, bene perpendat: Idem enim eſt nos illo ſenſu dicere Janſeniſtas, ac dicere hæreticos; non parva autem injuria eſt dicere obedientes Eccleſiæ Filios (qui pro Eccleſiæ veræ gloriâ & puritate indefeſſo zelo ſtant) dicere hæreticos; nullum enim opprobrium ita ſentit Eccleſiæ Filius quam quod dicatur ipſum eſſe alienum ab illa fide quam tuetur; & ſeparatum eſſe à fidelium communione cum qua participare debet cui ſalutis ſpes eſt.

121. Tuum eſt S. P. cui veræ Fidei

depoſitum commiſſum eſt, ſicuti confirmare fratres tuos in fide, ita & à fide devios declarare hæreticos, & ſpiritali Eccleſiæ gladio putrida Eccleſiæ membra à reliquo corpore abſcindere ne totum inficiant: tuo Judicio nos committimus, ſi declares nos hęreticos eſſe & hæretica docere libentiſſimè corrigemus doctrinam noſtram, illamque deteſtabimur. Verum quod quilibet paſſim vel ex ignorantia vel ex paſſione & malitia ſibi arroget illam authoritatem, tibi debitam, pro libitu declarandi & denuntiandi aliquos eſſe hęreticos & hęretica docere, quos tamen legitimi Superiores nunquam illius accuſarunt, illud valdè durum eſt Eccleſiæ Filiis, cum luxuriantium ingeniorum licentia indies magis ac magis accreſcat cum multorum puſillorum ſcandalo ac charitatis lęſione. Quia vero nullus graviſſimo illi malo applicare poteſt remedium tale quod certò illi medebitur, niſi tua Sanctitas, pro amore Chriſti cujus Vicarius es, & pace Eccleſiæ unicè tibi commiſſæ humiliter te rogant Pii Fideles ut hic authoritatem tuam interponas & petulantia illa ora compeſcas ne in poſterum audeant Janſeniſtas, Baianos &c. vocare illos quos Eccleſia & legitimi Superiores tanquam tales non condemnarunt, ſerviet hoc multum ad ſtabi-

liendam Eccleſiæ pacem, fovendam Chriſtianorum charitatem ac concordiam, adeoque & majorem Eccleſiæ ſplendorem ac Dei gloriam, ſubtrahetque hæreticis manum & occaſionem improperandi Catholicis quod quoad fidei & morum dogmata ſint inter ſe ita diviſi ac ipſimet hæretici, penes quos eſt doctrinarum chaos.

122. Quod autem in dicto libello doceatur cana ac ſana Orthodoxæ Eccleſiæ doctrina ut Approbatio prætendit, illud planè gratis & contra veritatem aſſeritur; niſi forte dicere vellemus in illo libello contineri ſanam ac canam Eccleſiæ doctrinam, ſicuti in libris Calvini & Lutheri continetur cana ac ſana Eccleſiæ Orthodoxæ doctrina, non quam defendit ſed quam oppugnat & evertere nititur.

Quis dicet eſſe canam ac ſanam Eccleſiæ Orthodoxæ doctrinam licitum eſſe affingere alicui vel falſa contra fidem & mores dogmata, vel doctrinam bonam alterius in pravum detorquere ſenſum? Graviſſimas contra tales calumniatores Antiquitas ſtatuit pœnas, imò & in fine vitæ communionem denegavit ut decernitur Hadriani Papæ cap. 62. *Si quis Epiſcopum aut Prasbiterum aut Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit; nec in fine danda ei communio.*

Quis

Quis dicet eſſe canam ac ſanam Orthodoxæ Eccleſię doctrinam ac praxim aſſerere peccati malitiam non eſſe voluntariam adeoque nec imputabilem, quando non cognoſcitur vel cognita fuit unquam ejus malitia, quod tamen clarè inſinuat Franciſcus Simonis cap. 2. Dogm. 3. fol. 27. ? Contrarium probavimus clarè in noſtro Tyrocinio part. 1. tract. 1, cap. 8. 20. & in defenſione Tyrocinii cap. 5.

Quis aſſeret eſſe canam ac ſanam Eccleſię doctrinam non dari pręceptum omnia opera noſtra referendi in Deum tamquam finem ultimum, cum SS. Patres unanimiter illud præceptum adſtruant ut oſtendi in defenſione Tyrocinii cap. 1. §. 2.

Quis affirmabit eſſe canam Eccleſiæ doctrinam dolorem de peccatis ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento licet omni benevolo erga Deum offenſum deſtituatur amore, cum SS. Patres unanimiter contrarium doceant ut ſæpiùs probatum eſt ? Non enim melius oſtendi poteſt doctrinam aliquam eſſe canam & ſanam quam ubi probatur illam in antiquis Patribus eſſe fundatam.

123. Hæc quoad primam D. Voluſii approbationem poſteà & ſecundam dedit hac occaſione : Cum libellus ille Franciſci Simo-

Simonis, non Moguntiæ apud Ludovicum Bourgeat ut Frontiſpicium præ ſe fert, ſed Leodii impreſſus ſpargeretur per totum Belgium cum magno illorum qui accuſantur Famæ detrimento apud imperitos (docti enim norunt Adverſariorum technas, dolos & calumnias) Illuſtriſſimus D. Alphonſus de Berghes Archiepiſcopus Mechlinienſis & Belgii Primas volens conſulere honori injuſtè accuſatorum librum Franciſci Simonis prohibuit; undè de novo librum approbavit, in qua approbatione quâ fronte aſſerat quod propriis ſuis oculis propoſitiones nobis affictas à Franciſco Simonis in libris noſtris viderit non ſcio, cùm nihil certius ſit quam pleraſque in illis non contineri, ſed unanimiter à nobis rejici & tamquam falſas reprobari, uti aliquoties jam publicis in Theſibus hinc & indè defenſis notatum & oſtenſum fuit; quod nullus facere auderet ſi in libris noſtris propoſitiones illæ legerentur, cùm ſic evidenter publicè convinci & confundi poſſent.

Undè rogamus humiliter D. Voluſium ut ſemel oſtendat in quo ex noſtris libris legerit ſequentes propoſitiones:

Lethaliter peccat qui de peccatis ſuis dolet ex metu gehennæ ſine charitate.

Lethaliter peccat qui de peccatis ſuis dolet

dolet ex deſiderio ſalutis & beatitudinis æternæ ſine charitate.

Omnis actus humanus, qui non exercetur ex charitate perfecta ſeu juſtificante peccatum eſt.

Ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſaria eſt contritio perfecta & per ſe juſtificans.

De reliquis conſtabit ex noſtris Juſtificationibus.

Si tali effronte audacia procedere velimus quis vel innocentiſſimus accuſari non poſſet? Certe Epiſcopi, ad cujus dignitatem jam evectus eſt Voluſius, eſt præbere ſe Patrem & defenſorem innocentium non oppreſſorem.

124. Quod autem ſubjungat omni factioni molienti novitates congenitum eſſe ut ſuos errores verborum involucris tegere conentur, id non nobis ſed Adverſariis appropriari poteſt: non enim erubeſcimus doctrinas noſtras ſed eas clariſſimis terminis tum in publicis Theſibus tum in noſtris libris manifeſtamus toti mundo, Adverſarii vero erubeſcunt ſuam doctrinam & praxim, cùm non audeant libris ſuis præfigere ſuum nomen, uti in hoc ipſo libello contingit, certò enim nobis conſtat authorem libelli non vocari Franciſcum Simonis, neque auderet Illuſtriſſimus D. Voluſius, qui inſinuat ſe noſſe Autho-

Authorem, cùm dicat eſſe eminentis ſcientię & integerrimę conſcientię, ſine reſtrictione mentali jurare illud eſſe verum Authoris iſtius libelli nomen, deindè quot non involucris tegere conantur ſuam doctrinam de probabilitatibus, de reſtrictionibus mentalibus &c.? Verbis enim negant reſtrictiones pure mentales, & tamen revera à parte rei admittunt, cùm aſſerant ſolam juſtam cauſam eſſe circumſtantiam ſufficienter conſignificantem & ſupplentem id quod in mente retinemus, licet nihil exterius concurrat quod auditori poteſt inſinuare id quod in mente retinetur. Secundò ubi ab ipſis petitur quomodò illa duo ſimul conſiſtant eſſe illicitum uti reſtrictionibus purè & merè mentalibus, &c. & tamen eſſe licitum ſequi quamcumque ſententiam etiam tantum probabiliter probabilem, reſpondent eſſe id illicitum per principium directum, licitum vero per principium indirectum ſeu reflexum; Quid hoc eſt aliud quam ſuos errores verborum involucris tegere?

125. Quoad Cenſuras Doctorum Colonienſium Patris Jacobi Emans P. Joannis Niderwits & P. Joannis Logenthal nihil ſpeciale habent quod non in aliis diſcuſſum fuit; interim non vacat myſterio cur nullus iſtorum trium addat, ſe eſſe religioſum, &

cujus religionis alumnum, non enim erubeſcunt ſuum Ordinem, cum in aliorum librorum approbatione viderim quod Emans dicat ſe eſſe Carmelitam, Niderwits Prædicatorem, Loventhal Jeſuitam; forte tali dedecore ſuos Ordines afficere noluerunt, quod eorum Religioſi voluerint eſſe participes & approbatores talis libelli famoſi, ſeu calumniarum quæ in illo continentur.

126. Si vellemus malum pro malo reddere, poſſemus hîc bene oſtendere illa Scripturæ loca quæ nobis adaptat D. Breunius optimè in Adverſarios quadrare, aliaque addere quæ Adverſariis meliori jure, majoreque veritatis apparentia competunt, quam citata in Cenſura Apoſtoli verba nobis; verùm cùm dicat Apoſtolus:

2. Timoth. 2. *Servum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes; docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: ne quando Deus det illis Pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant:* Vincemus in bono malum, penſantes ſervum non eſſe meliorem Domino, Jeſu Chriſto, cui ſeductoris nomen Judæi impoſuerunt, nam ut notat. S. Auguſt. *Hoc*

in Pſal. 63. *appellabatur nomine Dominus Ieſus Chriſtus ad ſolatium ſervorum ſuorum, quando dicuntur Seductores;* Scientes quod ab initio mundi

multa

Digitized by Google

multa pati debuerunt, qui acriter pro veritate dimicarunt, veritas enim odium parit. Quem Prophetarum in veteri lege non ſunt perſecuti Judæi? Quot contradictiones, perſecutiones, exilia, &c. in Nova Lege non ſunt paſſi Apoſtoli, tum à falſis Fratribus, tum ab Eccleſiæ Hoſtibus? Quantum non pati debuerunt SS. Patres Athanaſius, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus & alii per perſecutiones, exilia? Quoties non hæreſis accuſatus fuit S. Auguſtinus? Sicuti enim omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur, ita & qui veritatem propugnare volunt; quemadmodum enim Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & ſemper erunt qui reſiſtent veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem; ſperamus autem quod tandem veniet acceptabile tempus in quo inſipientia eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Nunc autem cùm venerit illud tempus in quo ſanam doctrinam non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coacervant Magiſtros prurientes auribus, in quo à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, in quo multi ſunt qui habent ſpeciem quidem pietatis & veritatis, virtutem autem ejus negant, qui quotidiè proficiunt in pejus errantes, & in errorem mittentes, quid

Digitized by Google

mirum quod ſummas jam patiatur veritas contradictiones & perſecutiones? Felices qui digni habiti ſunt pro veritate pati, cùm veritas eos liberaverit, tunc verè liberi erunt. Interim cùm Prima Veritas in Eccleſia ſua errores permittat, non deſiſtemus ob perſecutiones tueri veritatem, oppugnare errores, memores tamen moniti S. Patris noſtri Auguſtini contra litt. Petil. lib. 1. cap. ult. *Diligite homines, interficite errores; ſine ſuperbia de veritate præſumite ſine ſævitia pro veritate certate.*

127. Ad te Sanctiſſime Pater in quo eſt ſuprema ſolvendi ac ligandi poteſtas, ad Te confugiunt Cenſuris afflicti gravibus; à Te poſtulant abſolvi, ſi immeritis atque injuſtis; *hoc* enim teſte S. Bernardo Epiſt. 189. ad Innocentium Prædeceſſorem tuum *Inter cætera veſtri ſingularis Primatus inſignia ſpecialius illuſtriuſq; nobilitat veſtrum & inclytum reddit Apoſtolatum ſi eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla meo judicio in Corona veſtra pretioſior gemma zelo illo veſtro, quo æmulari conſueviſtis oppreſſos, nec relinquitis virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum.* Si vero meritis, juſtiſque, arctius aſtringi; ſi enim culpam commiſimus pænam promeritam non ſubterfugimus. Si autem innocentes nòs judicaveris, Tuum eſt tanquam ſupremi & æqui judicis ac Patris nos protegere.

AP-

APPENDIX.

PUtaverant Pii & Docti quod tandem ſuis laxis & paradoxis opinionibus moralibus metam & terminum poſuiſſent, attamen cum omnium bonorum mœrore & horrore nuperrimè vidimus eos ad extremum laxitatis, ne dicam inſaniæ, perveniſſe, cum & eis qui non Chriſtianè non ſecundum doctrinam & exempla Chriſti, ſed gentiliter vivunt, adeoque latè à ſalutis via declinant, ſalutem promittant modo frequentent ſepiùs, licèt ſacrilegè, Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, vel verbis ſaltem colant D. Virginem, quamvis exempla ejus imitari nolint. Minoritæ enim in Theſibus publicis hoc anno defenſis Theſi 3. de virtutibus Theologicis habent: *Monitis impiis accinit qui nuper in Concluſionibus publicis hanc reprobavit, frequens Confeſſio, & Communio, Cultus B. Virginis, in iis etiam qui gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis.* Theſes haſce Namurci defendere putabant, verum Illuſtriſſimus Namurcenſium Epiſcopus ob hanc aliaſque inauditas laxitates juſtiſſimè Theſes illas prohibuit, unde ſe cum illis Leodium contulerunt, ibidemque illas publicè defenderunt,

Digitized by Google

runt, non ſine juſta bonorum indignatione, qui meritò deplorant hoc jam tanquam notam Prædeſtinationis aſſignari, quod potiùs nota Reprobationis dici deberet; frequentes enim ſacrilegæ communiones & confeſſiones, ſine ulla vitæ emendatione, indubiè juſtiſſimum præbent reprobationis indicium, ſicuti certum ſignum mortis eſt quando medicinæ bonæ non proſunt ſed obſunt infirmo, & quæ ipſum ſanare deberent, majus cauſant morbi augmentum. Deinde hæ & ſimiles Propoſitiones, quibus hominibus perſuadent illos ex hac vita non migraturos ſine ſalutari pænitentia, ſi alicui Confraternitati ſint adſcripti, licèt de mala vita corrigenda non ſint ſolliciti, malam & periculoſam peccatoribus ingenerant ſecuritatem, & ſunt in cauſa quod peccatores ſæpe differant pænitentiam uſque ad extremum vitæ, interea omnibus illicitis indulgeant cupiditatibus, & tandem ſuæ malæ ſecuritatis, ſeu potius præſumptionis, æternas luant pænas.

Sanctiſſimè Pater ſenſum piorum fidelium de paradoxa illa propoſitione exprimere nequeo, hærent enim & obſtupeſcunt, nec credere potuiſſent tam horribilem doctrinam, quæ impingit in prima Chriſtianæ vitæ principia, in mentem hominis

imnis Chriſtiani incidere potuiſſe, niſi propriis oculis illam in Theſibus vidiſſent; & illorum Patrum in illa tuenda pertinaciam audiviſſent. Sic ſenſim in pejus errant; qui à veritatis via declinant; ſic occulto ſed tamen juſto Dei excæcantur judicio, qui oculos mentis veritati claudunt. Puto autem quod divina juſtitia & bonitas permittat ut in tam apertos, tam ab omni ſenſu Chriſtiano alienos incidant errores; juſtitia, ut ipſos puniat; bonitas ut metuentibus ſe det ſignificationem ut fugiant à facie illorum qui iſta docent, ne ubi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant.

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Benevole Lector, paucis te hîc in limine ſiſtere debeo, & admonere, ut varia menda, quæ huic opuſculo irrepſerunt ob Auctoris abſentiam, & correctoris indigentiam, emendare digneris. Sunt autem ſequentia.

Pag. 3. lin. 16. *Ortrodoxi*, lege *Orthodoxi.*
Pag. 6. lin. 1. *nova*, lege *novi.*
Pag. 13. lin. 26. *Anteceſſori*, lege *Anteceſſoris.*
Pag. 22. dele citationem in margine, uti & pag. 24.
Pag. 36. lin. 9. *quodam*, lege *quadam.*
Pag. 38. lin. 15. poſt *non paucos*, adde *ex.*
Pag. 42. lin. 20. *ſtatim*, lege *ſtatum.*
Pag. 48. lin. 12. poſt *non*, adde *eſt.*
Pag. 48. lin. 25. *ſicut*, lege *ſic ut.*
Pag. 58. lin. 8. poſt *metus*, dele ſignum interrogationis.
Pag 59. lin. 16. *munu*, lege *munus.*
Pag. 67. lin. 10. poſt *voluntatem*, dele comma.
Pag. 71. lin. 20. *accendi*, lege *accedi.*
Pag. 78. lin. 20. *Ex-ege*, lege *Exrege.*
Pag. 82. lin. 8 *illa*, lege *illo.*
Pag. 85. lin. 9. poſt *Tractatus*, dele comma.
Pag. 85. lin. 15. dele *non.*
Pag. 88. lin. 16. *vindicendam invinbiliter*, lege *vincendam invincibiliter.*
Pag. 89. lin. 1. *enulli*, lege *nulli.*
Pap. 91. lin. 8. *excuſare*, lege *excuſari.*
Pag. 95. lin. 4. *invincilis*, lege *invincibilis.*
Pag. 96. lin. 19. *corde*, lege *cordi.*
Pag. 160. lin. 19. *affectionem*, lege *aſſertionem.*
Pag. 202. lin. 2. *minus*, lege *unius.*

Alia menda facilè corrigere poteris.

Digitized by Google

Digitized by Google